



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226


16



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2246

G. II
25.




EXAMEN
CONFESSARIORUM
REPETITUM,
QUONDAM
Thesibus publicis editum,
MODÒ
PER UNIVERSAM
THEOLOGIAM
MORALEM
DEDUCTUM, AMPLIATUM,
ET
Casus conscientiæ obvios
propositum,

Eorumque RESOLUTIONES PRACTICAS
Collegij dilucidatum. *Paderbornen*
Præcis AUTHORE IESU *1722*

F. GREGORIO SCHOONAERTS,
Ord. FF. Erem. M. P. Augustini
Sacrae Theologie Professore.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptib. JOANNIS SCHLEBUSCH,
Bibliopolæ qm Hoff. ANNO 1718.





PRÆFATIO AD CONFESSARIOS.

Novissimis, quām magna, sublimis,
& digna sit potestas amplissimi Vestri
muneris, VIRI VENERANDI, adeò ut
nulli Angelorum, imò nec Angelorum Reginæ
umquam sit concessa. Potestas tanta, quā cœ-
lum verbo clauditis, serasque ejus solvitis, juxta
illud Æternæ Veritatis effatum: *Quodcumque
ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis;
quodcumque solveritis super terram, erit solutum
& in cœlis.* Potestas longè dignissima, quā
à Christo constituti estis judices in sacro tribu-
nali conscientiæ. Vicarii estis Regis regum
Christi JESU, legati, imò pleni-potentiarii, qui
vobis, quod sibi carissimum est, committit, ani-
mas prætiosissimo sanguinis sui lytro redemptas,
thesaurum vehementer amatum. Verūm quem-
admodum omne sublime multis periculis ob-
noxium cernimus, ita profectò, quòd sublimior
Vestra dignitas, eò pluribus periculis subjecta,
adeò, ut quemadmodum in terris nihil Vestro
munere est sublimius, ita nihil magis sit arduum,
vel periculosum. Enimverò quām facilè carni,
sanguini, & cupiditati faventes, vel deflectitis
ad detestandam laxitatem, vel justò severiores

PRÆFATIO.

acceditis ad insolitum rigorem, quo sit, ut Ecclesia non parum perturbetur. Ut ergo benè & dignè hoc opus magnum præstetis, tria Vobis summè sunt necessaria: probitas morum, scientia & prudentia. *Probitas* *vitæ*, ne pœnitentes, quos verbo ædificatis, exemplo scandalizetis: & sic quod unâ manu ædificatis, alterâ destruitis. *Scientia*, ut debitè fungamini officio Judicis, Medici, & Doctoris. *Prudenzia*, 1. Ut studiosè munus peragatis, ut cautè interrogetis pœnitentem, quando deprehenditis eum vel ex ignorantia, pudore, vel alia causa aliquid omittere culpabiliter, quod ad integritatem Confessionis requiritur. 2. In dissimulando, quando videtis, quod interrogratio & admonitio magis obesset, quam prodesset. 3. In adjuvando pœnitentem ad hoc, ut verè & debitè se disponat ad fructum hujus Sacramenti obtinendum. 4. Et maximè in denegando absolutionem, quando hoc necessarium, aut utile est saluti pœnitentis. 5. In præscribendis remediis pœnitenti, quibus peccata vincere potest: in dandis consiliis, quibus in facienda restitutione se conformare debet. 6. In præscribenda proportionata, & salutari pœnitentia Medicum imitamini.

1. Sanguinem ad vulnus affluentem temporis sistit: cohibete voluntatem pravam in peccatum lethale, alioquin cum æternæ salutis periculo fortassis continuaturam.

2. Medico cura est, id, quod forinsecus injectum

PRÆFATIO.

jectum vulnus infestat, sinè mora tollere: ut sunt glandes, gladiorum, cultrorumve cuspides, & ligni frustula; ita tollendas curate externas peccati mortalis occasiones, quas continuò, & sinè mora pro circumspecto moderamine Vestro sublatas oportet.

3. In animum inducit Medicinæ peritus ea, quæ intus, & vulneri agnata officiunt, sensim resecare, & tollere, cujusmodi sunt ossium contritorum particulæ, contusa, & emorua caro, humores noxii &c. ita spiritualis medicinæ pharmaca impendite, quibus radices excindatis, & internis vitiorum occasionibus medeamini.

4. Statuit Medicus partes sanas, & non afflitas corroborare, & adversùs ea, quæ ex accidenti ingruerent, symptomata præmunire, ita hæc vestra sit sollicitudo, non tantum præscribendi medicamen adversus peccata commissa, verùm quo & futurum præcavet pœnitens, ne ille morbus cum corripiat, à quo forsan immunis fuit.

5. Vigilantiæ Medici pars est, ut membrum, quod fuit afflictum, pristinâ temperie firmet, & corroborativis consolider, ita non satis est pœnitentem nuperæ sanitati utcumque esse redditum, sed oportet incumbere, ut perducatis ad valetudinem firmam, & temperiem, hoc est, ut eum justitiæ statum consequatur, qui procul absit à periculo relabendi citò in mortale, quæ ut procurentur, necessarium est, opem Evan-

P R A E F A T I O.

gelici Samaritani, sine cuius medicinali gratia nulla fit spiritualis curatio, indefessis precibus implorare. Et quod medici partes ad amissim impleatis, universale illud medicamentum, quod Panchreston vocant, inculcate diligenter: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, Matth. 22. Quia sicut à ventriculo ægritudinum multoties origo, ita ab amore sui & terrenorum scaturit peccatum.

Habetis hinc, VIRI VENERANDI, muneris Vestri dignitatem, periculosa in subeundo munere onera, & modum, quem in medendis animæ vulneribus tenere oportet. Interim quæcumque hoc Libello continentur, & alias adhuc à me in Thesibus publicis edita sunt, aut edenda, Romanæ Ecclesiæ judicio omni cum obedientia filialiter subjicio. Vos æqui bonique consulite, & precibus Vestris imbecillitatem meam sublevate.

):(o):(

EACUL-

FACULTAS
EXIMII P. MAGISTRI
PROVINCIALIS.

EGO infra scriptus facultatem concedo
*Adm. R. P. GREGORIO SCHOON-
NAERTS, Sacræ Theologiæ Professori
Ord. Erem. S. P. Augustini*, ut Librum à se
compositum, cui titulus: *Examen Con-
fessariorum &c.* per Adm. RR. & Exi-
mios Provinciæ nostræ Theologos revi-
sum & approbatum, prælo committat.
Datum Angiæ, die 22. Decembris, 1716.

F. JACOBUS VAN BOSSUYT,
Provincialis.

CENSURA ORDINIS.

CUM Regimen animarum sit onus,
etiam Angelicis humeris formidan-
dum, Librum hunc, cui titulus: *Examen
Confessariorum &c.* Authore Adm. R. P.
GREGORIO SCHOONAERTS, Ord.

*Erem. S. Augustini S. T. Professore, ex
commissione Eximii Patris Magistri Pro-
vincialis nostri, maturâ lectione, magna-
que cum voluptate pervolvimus. In eo
namque non nisi sanam & solidam Magni
Patris Augustini doctrinam, quâ animarum
saluti optimè consulatur, invenimus. Tan-
tum abest, ut fidei, aut bonis moribus in
ullo repugnet. Datum Antverpiæ, 7. De-
cembris, 1716.*

*F. GER. MELYN, S. T. Lovanii Doct.
ac Conventus Antv. Prior.*

*F. ALB. MARCUS, S. T. Litent. Lovan.
nuper Studii Regens, Provincia
Flandro-Belgica Diffinitor.*

CENSURA ORDINARII.

*I*egi Librum, cui Titulus: *Examen Confessa-
riorum &c. Authore Rev. Admodum P.
GREGORIO SCHOONAERTS, Ordinis Ere-
mitarum S. Augustini S. Theologiae Professore. In
eo nihil reperi, nisi quod Catholicæ Fidei, bo-
nisque moribus per omnia sit consentaneum.
Author, inhærendo genuinæ Magni Augustini
Doctrinæ, (quam plures inclamant, quam se-
quantur) in periculosa velificatione vitavit scyl-
lam*

lam noxii rigoris, & propudosæ laxitatis Ca-
rybdim. Pertractat ea, quæ Ecclesiæ ministris
in Sacro Tribunali quotidiè occurruunt: unde
incipientibus, juxta ac provectionibus utilissi-
mus erit. Ita censui Antverpiæ 15. Januarii

1717.

FRANCISCUS GOOS,
S. T. & J. U. L. Can. Grad.
Exam. Synod. ac Lib. Cen.

Ars artium est animarum regimen, quare,
ut pluribus prospicit, etiam apud nos in lucem
prodit omnibus utilissimum, & perquam necel-
larium *Examen Confessariorum*, Authore Reve-
rendo Admodum ac doctissimo Patre GREGORIO
SCHOONAERTS, Ordinis FF. Eremitarum
Magni Patris Augustini SS. Theologiae Professore
Ordinario, ad genuinam mentem ejusdem sancti
Patris succinctè compositum. Idque accuratè
& attentè legi, ac clare vidi, quod in eo nihil
orthodoxæ Fidei, Ecclesiæ dogmatibus, bonis-
que moribus contrarietur, cùm inconcussis ac
rutiissimis principiis Augustinianis per omnia
fortiter ac pressè insistat, neque declinando
ad periculosæ laxitatis, aut noxii rigorismi si-
nistram, sed ubique tenens viam regiam atque
dextram tutioris semitæ, quam quisque Con-
fessarius providè & prudenter calcando expe-
rietur in præxi uberrimum animarum lucrum;

*Linde Parve, nec in video, sine me, liber ibis
in Orbem. Ut te omnis Confessarius studiosè
legat, in arduis avidè consulat, & fructuose
sequatur. Ita censeo hāc nonā Augusti, Anno
millesimo septingentesimo decimo octavo, ad
S. Augustinum Coloniæ ad Rhenum.*

*F. Henricus Hargardt, Ss. Theologæ Doctor & Professor ordinarius
ac publicus Augustinianus, mpr.*

*E XAMEN CONFESSARIORUM, ab Admo-
dum Reverendo Patre GREGORIO SCHOON-
NAERTS, Ord. Fratrum Eremitarum S. P. Au-
gustini Sacrae Theologie Professore, studiosè cla-
boratum, ac bono publico in Belgio editum,
ob eximiam perspicuitatem & claram ac suc-
cinctam docendi & resolvendi methodum cum
voluptate perlegi, ejusque doctrinam omnibus
Confessariis sive pro animarum cura qualifican-
dis perutilem reperi, unde ipsum fructuose pro
augmento boni publici reimprimi posse censeo.
Coloniæ die 11. August. 1718.*

*F. Petrus Tholen, Ord. Præ-
dicatorum, Ss. Theol. Doctor
& Professor Ordinarius, Exam-
inator, Synodalis, ac Studii Gene-
ralis in Conventu S. Crucis Regens
mppr.*

INDEX



INDEX
TRACTATU M,
CAPITUM
ET
PARAGRAPHORUM.

Tractatus. De Actibus humanis.	Fol. x
Caput I. De Actu humano voluntario & involunta- rio.	ibid.
Regula dignoscendi causam justam, propter quam possit pon- actio, ex qua prævidetur secuturus effectus malus.	6
Caput II. De libertate Actuum humanorum.	12
Caput III. §. 1. De metu, & concupiscentia in ordine ad voluntarium, & involuntarium.	15
§. 2. De ignorantia.	18
Methodus examinandi pœnitentem circa fœda pollutionis pec- catum.	24
Caput IV. De circumstantiis Actuum humanorum.	27
Caput V. De conscientia, ejusque divisionibus.	31
Regula procedendi cum scrupulis.	35
Tractatus. De peccatis in genere, & in specie.	38
Caput I. Quid peccatum, & quomodo dividatur?	ibid.
Regula dignoscendi inter peccatum mortale & veniale.	39
Regula dignoscendi, quando peccata multiplicentur quoad nu- merum.	41
Regula dignoscendi, an quis perfectè, vel imperfectè in pecca- tum confenserit.	42
Caput II. De concupiscentia, ejusque motibus.	43
Caput III. De luxuria, ejusque speciebus.	46
§. 1. De osculis, & tactibus.	47
§. 2. De aspectu, cantilenis, & ornatu.	50
Corol-	

I N D E X.

Corollarium de Tripudiis modernis.	53
De conventiculis forensibus.	56
§. 3. <i>De fornicatione.</i>	59
<i>Regula dignoscendi peccata fragilitatis.</i>	61
§. 4. <i>De stupro.</i>	64
§. 5. <i>De adulterio.</i>	65
§. 6. <i>De incestu.</i>	67
§. 7. <i>De raptu.</i>	70
§. 8. <i>De peccato contra naturam.</i>	72
§. 9. <i>De abortu.</i>	74
Caput IV. De Ebrietatis peccato.	79
Appendix Miscellanea de jejunio.	82
Caput Unicum. Quid jejunium, & quae ejus obligatio? <i>ibid.</i>	
Tractatus. De Legibus.	89
Caput I. <i>Quid lex, & quae ejus divisio?</i>	<i>ibid.</i>
Caput II. <i>De lege positiva, de ejus effectu, & subiecto.</i>	92
Caput III. <i>De consuetudine, & legis dispensatione.</i>	98
§. 1. <i>Quid consuetudo?</i>	<i>ibid.</i>
§. 2. <i>De dispensatione.</i>	100
Tractatus. <i>De virtute Religionis, ejusque actibus.</i>	115
Caput I. <i>De natura Religionis, & Horis Canonicis.</i>	<i>ibid.</i>
Caput II. <i>De voto, ejus commutatione, & irritatione.</i>	119
§. 1. <i>De voti natura &c.</i>	<i>ibid.</i>
§. 2. <i>De dispensatione in voto.</i>	123
Caput III. <i>De juramento.</i>	124
<i>Remedia ad extirpandam pravam jurandi consuetudinem.</i>	
	127
Caput IV. De vitiis Religioni oppositis.	132
§. 1. <i>Quid irreligiositas, & quotuplex?</i>	<i>ibid.</i>
§. 2. <i>Quid, & quotuplex Simonia?</i>	133
<i>Regula, ex quibus dignosci possit, an Simonia committatur in collatione beneficiorum.</i>	143
Caput Ultimum. De reliquis irreligiositatis speciebus.	144
§. 1. <i>De superstitione, & idololatria.</i>	<i>ibid.</i>
§. 2. <i>De vana observantia.</i>	146
§. 3. <i>De Magia, & Veneficio.</i>	147
Tractatus. De Iure, & Justitia.	152
	Caput

I N D E X.

53	Caput I. <i>De Justitia, & Iure generatim, Dominio Cleri-</i>	
56	<i>corum, &c.</i>	ibid.
59	<i>Appendix de pensionibus Ecclesiasticis.</i>	157
61	<i>Caput II. De Dominio Sacularium.</i>	159
64	<i>§. 1. Quomodo acquiratur dominium per venationem, & au-</i>	
65	<i>cupium?</i>	ibid.
67	<i>§. 2. Quomodo acquiratur dominium in bona derelicta, in-</i>	
70	<i>certa, inventa, thesauros, &c.</i>	161
72	<i>§. 3. Quomodo acquiratur dominium per prescriptionem?</i>	164
74	<i>Caput III. De injuria, & restitutione in genere.</i>	167
79	<i>§. Unicus. Quid restitutio, & qui tituli ad eam obligantes?</i>	
82		ibid.
84	<i>Caput IV. De damno in bonis fortuna per furtum & rapi-</i>	
87	<i>nam.</i>	172
89	<i>§. 1. De furto & rapina.</i>	
92	<i>Regula dignoscendi domesticorum furta.</i>	ibid.
95	<i>§. 2. De cooperantibus ad furtum.</i>	173
98	<i>§. 3. An omnes cooperantes jam descripti teneantur ad resti-</i>	
100	<i>tutionem in solidum?</i>	177
103	<i>Caput V. De injuria, & restitutione ob nocumentum in fama,</i>	
106	<i>honore, & bonis temporalibus.</i>	183
109	<i>§. Unicus. Quomodo peccet detractor, & quomodo reparan-</i>	
112	<i>dus honor laesus?</i>	ibid.
115	<i>Caput VI. De injuria & restitutione ratione stupri & adul-</i>	
118	<i>terii.</i>	189
121	<i>§. 1. De restitutione ratione stupri.</i>	
124		ibid.
127	<i>§. 2. De restitutione ratione adulterii.</i>	200
130	<i>Caput VII. De damno in corpus per mutilationem & homi-</i>	
133	<i>cidium.</i>	203
136	<i>Tractatus. De Contractibus.</i>	212
139	<i>Caput I. De contractu in genere.</i>	
142	<i>§. 1. Denatura contractus.</i>	ibid.
145	<i>§. 2. De contractu conditionato.</i>	ibid.
148	<i>§. 3. De promissione, donatione, deposito, commodato, & pre-</i>	
151	<i>cario.</i>	215
154	<i>Caput II. De Testamentis &c.</i>	217
157	<i>§. 1. Quid, & quotuplex ultima voluntas?</i>	
160		ibid.
163	<i>§. 2.</i>	

I N D E X.

§. 2. Expenduntur cetera ad hanc materiam spectantia.	221
Caput III. De Mutuo, & Usura.	224
§. 1. Quid mutuum, & usura?	ibid.
§. 2. Assignantur tituli tres, ob quos aliquid ratione mutui licitè exigitur, & accipitur.	230
§. 3. An montes Pietatis & Lombardi sint usurarii?	234
Caput IV. De Censibus, & contractu Societatis.	236
§. 1. Quid census, & quotuplex?	ibid.
§. 2. De Contractu Societatis.	239
Caput V. De Cambio.	241
Caput VI. De fidei iussione, assurcatione, conductione, loca- tione, Emphyteusi, feudo, pignore, & Hypotheca.	245
Caput VII. De Emptione, & Venditione.	247
§. Unicus. Quid emptio, quid Venditio, &c.	ibid.
Caput VIII. De Tributis & Vectigalibus.	252
Tractatus. De Sacramentis in Genere, & tribus in Specie.	253
Caput I. Quid Sacramentum, & qui ejus effectus?	ibid.
Caput II. De Baptismo, & Confirmatione.	255
Caput III. De Eucharistia.	256
Appendix de preparatione ad S. Eucharistiam requisita.	257
Tractatus. De Sacramento Pœnitentia.	263
Caput I. Quid sit Sacramentum Pœnitentia, & quanam ad illud requirantur?	ibid.
§. 1. De Contritione.	265
§. 2. De Confessione.	267
Observanda circa numerum peccatorum exprimendum.	280
§. 3. De Satisfactione.	288
Caput II. De Casuum reservatione. & Sigillo Confes- sionis.	291
§. 1. An reservatio graviorum criminum valida sit, & utilis?	ibid.
§. 2. De Sigillo Confessionis.	295
Exempla duo de reverentia Sigillo Confessionis prestan- da.	297. 299
Caput III. De modo Administrandi Sancte hoc Sacra- mentum.	303
	§. 1.


INDEX.

§. 1. Primititur praxis generalis, & compendiosa.	ibid.
§. 2. Regula generales dignoscendi pœnitentis indispositio-	
nem.	305
§. 3. Regula practica inquirendi in statum Pœnitentis, si non	
innotuit.	306
Caput IV. Interrogatorium circa decem precepta deca-	
logi.	311
§. 1. Circa primum preceptum quinque.	ibid.
§. 2. Circa secundum preceptum tria.	312
§. 3. Circa tertium preceptum quatuor.	ibid.
§. 4. Circa quartum preceptum sex.	313
§. 5. Circa quintum preceptum quinque.	314
§. 6. Circa sextum preceptum sex.	ibid.
§. 7. Circa septimum preceptum quinque.	315
§. 8. Circa octavum preceptum duo.	ibid.
§. 9. Circa nonum preceptum quinque.	316
§. 10. Circa decimum preceptum quinque.	ibid.
§. 11. Quadam notanda in examine peccatorum carna-	
lium.	317
Caput V. Resolutiones practica procedendi cum relabentibus,	
& Consuetudinariis.	320
§. 1. De crebro in criminis relapsu.	ibid.
§. 2. De Consuetudinariis.	323
Caput VI. De Occasionibus peccatorum.	329
§. 1. Quid occasio peccati, & quotuplex?	ibid.
§. 2. Expenduntur cetera hanc materiam concernentia, &	
per particulares casus dilucidantur.	331
Appendix de remedii prescribendis tum generalibus, tum par-	
ticularibus pœnitenti, tempore dilatae absolutionis.	339
§. 1. Prescribuntur generalia.	ibid.
§. 2. Specialia prescribenda libidinosis.	341
§. 3. Prescribenda adversus iram, proximi odium &c.	ibid.
§. 4. Prescribenda detractoribus, & calumniatoribus.	343
§. 5. Prescribenda intemperantibus.	ibid.
Tractatus. De Sacramentis Extrema unctionis, & Or-	
dinis.	345
Caput I. De Sacramento Extrema unctionis.	ibid.
	Capuc

221
 224
 id.
 utui
 230
 234
 id.
 236
 id.
 239
 oca-
 245
 id.
 247
 id.
 252
 in
 253
 id.
 255
 256
 57
 63
 ad
 id.
 65
 67
 80
 88
 fef-
 91
 &
 id.
 95
 in-
 99
 en-
 23
 1

I N D E X.

Caput II. De Ordine.	348
Tractatus. De Sacramento Matrimonii.	350
Caput I. De Sponsalibus.	ibid.
§. 1. <i>De Sponsalibus, eorum effectibus &c.</i>	ibid.
§. 2. <i>Nonnulla resolvuntur.</i>	352
§. 3. <i>Ex actis resolvuntur casus practici.</i>	356
Caput II. De Sacramento Matrimonii.	360
§. <i>Unicus. Quid sit Matrimonium, & quando institutum?</i>	ibid.
Caput III. De consensu & Contractu Matrimoniali.	362
§. 1. <i>Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii?</i>	ibid.
§. 2. <i>An ad valorem Matrimonii sufficiat consensus conditionatus?</i>	365
Caput IV. De impedimentis Matrimonii.	371
§. 1. <i>Quid, & quotplex sit impedimentum Matrimonii?</i>	ibid.
§. 2. <i>Error, Condicio, Votum, Cognatio, Crimen.</i>	372
§. 3. <i>Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.</i>	375
§. 4. <i>Amens, Affinis, si Clandestinus, & impos.</i>	378
§. 5. <i>De impedimentis impedientibus.</i>	386
§. 6. <i>De denuntiationibus.</i>	389
Caput Ultimum. De bonis Matrimonii.	392
§. 1. <i>Quot sint Matrimonii bona?</i>	ibid.
§. 2. <i>An dissolvi possit Matrimonium quoad vinculum?</i>	396
§. 3. <i>Et ultimus. De dissolutione Matrimonii quoad cohabitationem.</i>	399



TRA-

348
350
ibid.
ibid.
352
356
360
litu-
bid.
362
atri-
bid.
litio-
365
371
imo-
bid.
372
375
378
386
389
392
bid.
396
bita-
399



TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT PRIMUM.

*De Actu Humano, Voluntario,
& Involuntario.*



Ctus humanus, qui suam
sortitur bonitatem ab objecto,
circumstantiis, & fine, ex D.
Thoma i. 2. q. 1. a. 1. in corp.
trifatiam definiri potest. 1. *Actio*
propria homini, quatenus homo
est. 2. *Actio cuius homo est Dominus.* 3. *Actio*
qua procedit à voluntate hominis deliberata. Siqui-
dem *Actio humana* dicitur *propria homini, qua-*
tenus homo est, ejusque dominio subest, quia
proprium est homini agere ex voluntate delibe-
rata, & eo ipso, quo deliberatè agit, Actio est
in ejus potestate & dominio.

Differt ab *actione hominis*, quod quidquid
ab homine fit, sit *actio hominis*, etiam si fiat sine
voluntate deliberata, non tamen *actio humana*.
Sic motus primo - primi omnem rationis adver-

A

ten-

A-



2 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

tentiam prævolantes, &c. actiones quidem hominis sunt, humanæ dici non possunt, quia non sunt hominis, quatenus homo est.

PETES 1. Quotuplex esse reperitur in actu humano?
RESP. Duplex, scilicet esse naturæ, seu physicum,
& esse morale, sive moralitas.

2. Quid est esse physicum actus humani?

R₂. Est ipsa physica entitas actionis.

3. Quid est morale, sive moralitas?

R₂. Est habitudo actionis humanæ ad rectam rationem, quatenus regulis illius substat, & ab eis mensuratur, tanquam aliquid conforme, vel difforme.

4. Quotuplex est actionis moralitas?

R₂. Duplex: una *objectiva*, altera *formalis*, seu *exercitii*. Moralitas *objectiva* merè se tenet ex parte actus, & petitur à solo objecto actus secundum se considerati, absque ullo ordine, aut respectu ad operantem. Hæc moralitas reperitur in actibus minimè liberis, cujusmodi sunt motus concupiscentiæ indeliberati, qui, licet defectu libertatis in peccatum imputari non valeant, secundum se tamen moraliter mali sunt, moralitate scilicet *objectiva*, quia ex objecto sunt difformes rectæ rationi.

Moralitas *formalis*, seu *exercitii* est illa, quæ dicit ordinem ad operantem, & consistit in habitudine agentis ad rectam rationem, quatenus conformiter, vel difformiter ad illam operatur, unde requirit libertatem in operante.

5. Quæ

C A P I T U L U M I.

3

5. Quæ est regula actus humani?
- R. Regula illius est *recta ratio*, seu potius *lex* æternæ.
6. Quotupliciter potest actio humana considerari?
- R. Dupliciter, secundum suam *speciem*, & secundum *individuum*. Consideratur secundum *speciem*, quando nudè attenditur objectum actionis, abstrahendo à circumstantiis, in quibus exercetur, vel exerceri deberet.

Consideratur secundum *individuum*, quando considerantur omnes circumstantiæ, in quibus hic & nunc exercetur. Secundum *speciem* multas reperies indifferentes, nullam in individuo.

7. Quid est voluntarium?
- R. *Quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis*. Voluntarium aliud est perfectum, imperfectum aliud; perfectum est, *quod procedit à voluntate cum perfecta cognitione finis*. Imperfectum, *quod procedit à voluntate cum imperfecta cognitione finis*.

Perfecta cognitio finis consistit in eo, quando non solum apprehenditur res, quæ finis est, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio mediorum ad finem; imperfecta vero cognitio finis in hoc consistit, quando quidem cognoscitur res, quæ finis est, sed non sub ratione finis.

8. Quomodo dividitur voluntarium?
- R. Aliud est directum, indirectum aliud. Directum est, *quod procedit à voluntate expresso*

A 2

actu

4 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

actu id volente. Directè vult mortem inimici, qui in eum finem vulnus lethale ipsi infligit &c. Indirectum est, quod licet non procedat expresso *actu id volente*, moraliter tamen loquendo, seu attentis circumstantiis omnibus, prudenti hominum iudicio censetur à voluntate procedere, idcirco illi etiam imputatur. Sic pollutio respetu ebrii scientis se esse in ebrietate lubricum, & primum ad actus venereos, est indirectè voluntaria. Sic omnia juramēta lusoribus, qui &c.

Quæ directè voluntaria sunt, dicuntur voluntaria *in se, expressè, & formaliter*; quæ autem indirectè tantum, dicuntur voluntaria *in causa, implicitè, virtualiter, interpretativè*.

9. An voluntarium coincidat cum volito?

¶. Neg. Ut sit voluntarium, debet à voluntate procedere; ut sit volitum, sufficit quod voluntas sibi in eo complacat. Sic quod Deus conglorificetur à Sanctis, mihi est volitum, non voluntarium.

10. An possit dari voluntarium expressè nolitum?

¶. Affirm. Si agatur de *nolito* inefficaciter, ut est projectio merciū in mare metu naufragii &c.

Dictum est, si agatur de *nolito* inefficaciter; quia voluntas non potest simul idem velle efficaciter, & nolle efficaciter.

11. An quotiescumque actio secundum se licet duos habet effectus, unum bonum, & alterum malum, possit quis actionem semper licetē ponere, intendendo effectum bonum, & permis- sive se habendo ad malum?

¶. Neg.

R. Neg. Non enim propter quodcumque bonum
permitti potest quodcumque malum.

12. Quando igitur effectus ex causa positiva se-
cutus est voluntarius?

R. Effectus malus ex positiva actione profluens
est indirecte voluntarius, nisi justam & urgen-
tem habeamus causam actionem illam po-
nendi. Hinc Petrus advertens se pati pollu-
tionem nocturnam, dum vesperi abundantem
vinum bibit, aut calidis vescitur cibis, tenetur
ab illis abstinere, si cibum alium, potumve
in promptu habeat. Ut tamen effectus im-
putetur in culpam, necesse est, sit prævisus,
aut prævideri possit, & debeat.

Si justam & urgenter quis habeat causam
actionem ponendi, cui effectus malus præ-
videtur annexus, non imputatur in culpam.
Sic medici causâ medendi quaslibet corporis
visitant partes. Sic Confessarii muliercularum
excipiunt confessiones, licet ex declaratione
peccati venerei rebellionem patiantur carnis;
cavendum tamen, ne effectus ille per curiosas
interrogationes &c. intendatur.

Colligat prudens Confessarius, cur motus
carnis inordinati, quos juvenes & adolescen-
tulæ patiuntur ex lectione historiarum lubri-
carum, sint peccata. Talibus addictos non ab-
solvat Confessarius, nisi seriò proponant cau-
sam tollere.

13. Quid est involuntarium?

R. Est omne id, cui deest aliquid ex requisitis ad

A 3 ratio-

6 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

rationem voluntarii. Dupliciter sumitur involuntarium; simpliciter, & secundum quid. Involuntarium simpliciter est, quod omnibus consideratis est nolitum. Sic abductio furis ad carcerem &c. involuntarium secundum quid est, quod voluntas quidem vult, sed non vellet, si circumstantiae quædam amoverentur. Sic quando quis metu naufragii projicit merces in mare, projectio ista simpliciter est voluntaria, involuntaria tamen secundum quid, nollet enim eas abdicere, si metus naufragii abesset.

14. Quid est violentum?

15. Violentum est, quod non fit à patiente, sed ab agente extrinseco contra inclinationem patientis, & cum renitentia efficaci ejusdem. Hinc stuprum non censetur Virginis violentè illatum, si stupratorem clamoribus à se depellere potest. Erit tamen violentum, si non possit evadere, nisi ipsum occidendo.

Regulæ dignoscendi causam justam, propter quam possit ponî actio, ex qua prævidetur secuturus effectus malus.

UT causa sit justa, & sufficiens ponendi actionem, requiritur 1. Ut actio secundum se licita sit, & honesta. Postea consideranda venit utilitas ex actione proveniens, an major, an minor, quam malum quod timetur. 2. An certè effectus malus sequetur, an probabiliter tantum. 3. An certior sit utilitas, incertius malum, aut contra-

trà. 4. An agens speciali obligatione teneatur fructum actionis procurare, vel effectum malum arcere. 5. An utilitas actionis sine periculo illius effectus mali nequeat aliâ viâ comparari. 6. Attendendus est modus, quo actio secundum se bona influit in effectum malum, an directe, & ratione sui, an tantum indirecte. Sincerè & accuratè consulenda hîc rationis super nos signatæ regula, imploranda ardenter Spiritus S. unctio, præcipue in Confessariis, quia si sentiant periculum consensûs &c. nisi speciali obligatione teneantur, ab audiendis similibus abstinere debent; sicut certò abstinendum est illis, qui postquam adhibuerint media notabili tempore, & tamen deprehendant se consentire in malum occasione confessionum auditarum. Ex hac doctrina maximi momenti derivantur consecaria.

1. Prægnantibus incumbere magnam & specialem obligationem cavendi à perturbationibus animæ & corporis, quæ periculum creare possunt abortus ob periculum summi mali, sive damnationis æternæ.

2. Majorem commoditatem hujus vel illius situs corporis in lecto non sufficere ad hoc, ut pollutio ex tali situ consecuta, non censeatur interpretativè voluntaria, dum alio situ absque magna difficultate quis dormire potest.

3. Puellis & fœminis indirecte voluntaria scandala, propter quæ pusilli ex fragilitate labuntur, vel ex intuitu nuditatis, vel immoderati carum ornatûs, quo & naturalem venustatem ni-

3 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

miūm exponunt, & extraneam superaddunt. Suam igitur vanitatem, ad inventitiamque, & naturalem venustatem, vel etiam nuditatem nimium exponendo, verè tentant pusillos, suisque illis illecebris laqueum parant animabus ipsorum, ita ut illis applicari possit illud Isaiz 24. *Laqueus juvenum omnes vos.* Proinde Illustiss. & Reverendiss. Antverpiensium Episcopus D. Ferdinandus præcipit omnibus sui districtūs concionatoribus in sua ordinatione 24. Julii anni 1683. ut sine intermissione & personarum exceptione contra hunc abusum declamarent, præcipit omnibus Confessariis, quod si quasdam fœminas in sede confessionali deprehenderent indecenter ornatas, graviter redarguerent, & si emendationem non viderent, tales taliter persistentes non amplius ad reconciliationis beneficium admitterent.

4. Ecclesiasticis distractiones in Horis, & tremendo Missæ sacrificio, sæcularibus mentis evagationes in Sacro obligante in causa esse voluntarias, dum vel ad orandum mentem non præparant, vel in utilibus conversationibus, confabulationibus &c. mancipati, orationi se mox accingunt: *Non enim proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Ps. 53.

5. Alienam ebrietatem indirectè voluntariam esse cauponibus, qui absque gravi detimento suo recusare valentes vinum &c. promunt iis, quos vident ebrietati proximos, atque adeò inde inebriandos. Seriò illis invigilet Confessarius.

A 3-

Audiant quoque caupones illud Apost. ad Rom. 10. *Noli cibo, noli vino, &c. illum perdere, pro quo mortuus est Christus.*

6. Confessariis voluntarium indirectè esse suorum pœnitentium in idem peccatum relapsum, si nimis faciles se exhibeant in imperitiendo beneficio absolutionis. Ob indulgentiam illam praxim, quæ immisericors misericordia jure dicitur, S. Salesio teste, perit multitudo infinita. Testeque Bellarmino, *Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Rigorem nimium penitus damno. Misericors Samaritanus Sacramentum pœnitentiæ non instituit, ut esset laniena animarum. Viâ mediâ tutissimus ibis. Accipite casus hanc materiam concernentes.

CASUS I.

Persona aliqua, historiarum lubricarum lectionis dedita, de nocte patitur motus inordinatos carnis &c. queritur, an hi indirectè voluntarii, & quid cum tali pœnitente agendum Confessario?

Ad 1. R. Aff. Procedunt ex causa voluntariè, & liberè posita; ergo effectus voluntarii sunt, & liberi.

Ad 2. Confessarius energicè proponat periculum latens, quod pro comperto habere debet pœnitens ex experientia. Inquirat, an in anterioribus confessionibus hujus lectionis malitiam aperuerit, vel apprehenderit: inducat efficaciter ad tollendam effectus mali causam, quod si post promissa fidem frigenter, non absolvatur, nisi se ipsâ præstiterit.

10 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

C A S U S I I.

Petrus in casu necessitatis à fœneratore mutuum exigit, qui prævidetur non daturus, nisi sub usura, Paulus à sacrilego ministro Sacramentum ēc. Inquiritur, an Petrus usura vitiō commaculetur, & Paulus sacrilegii crimen committat?

R. Neuter peccati alieni reus est. Uterque utitur jure suo, & respectu pravæ voluntatis habet se permisiviè. Idem resolvendum de eo, qui prævidetur juraturus per falsos Deos. Idem de eo, qui pejerabit, &c. juxta axioma enim theologicum: *Effectus malus ex actione positiva secutus non est voluntarius, nec imputabilis in culpan, dum justa est ratio talem actionem ponendi.*

C A S U S I I I.

Honesta puella ab aliquo juvene perdite amatur, is ex intuitu ipsius sibi sumit occasionem spiritualis ruine, quæritur, an hæc ad domesticum velut carcere obligetur?

R. Neutquam: miserrima enim foret humana conditio, si à rationalibus actionibus nos abstinere cogeret aliena malitia, quâ laqueum sibi perditionis quisquam necit ex actione nostra bona. Ipsa Apostolicum illud usurpet: *Non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi.*

C A S U S I V.

Parentes vicia suorum filiorum cognoscunt, & efficaciter non prohibent, Confessarii indulgentius agunt cum suis pœnitentibus, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, & hoc spe com-

CAPUT I.

II

commodi temporalis, queritur, an peccatorum alienorum reddantur participes?

R^e. Ad utrumque affirmativè. In primis parentes &c. quibus cura suorum filiorum incumbit particulariter in ordine in finem supernaturalem. Error, cui non resistitur, approbatur; \mathfrak{E} veritas, cum minimè defenditur, opprimitur. Cap. error, Dist. 83.

Confessarii etiam alienorum peccatorum efficiuntur participes, teste Trid. sess. 14. cap. 8. & D. Bern. serm. 40. de divers. cap. 8. Qui, cum emendare possit, negligit, participem se procul dubio constituit.

CASUS V.

Quidam ex eo, quòd ludant foliis pīctis \mathfrak{E} c. in juramenta & blasphemias \mathfrak{E} c. prorumpunt; queritur, an illis à lusu abstinendum?

R^e. Verbis S. Francisci Salesii p. 4. cap. 6. Quandoque vel sola tentatione nos peccati reos constitui, eò quòd eam nobis accersivimus: V.G. scio me lusu ad rabiem concitari, vel blasphemiam. Novi ad ista me lusu tentari. Toties pecco, quoties ludam, omniumque tentationum, quae in lusu contingent, reatu gravor. Similiter, si quam conversationem noverim tentationem mihi parere, \mathfrak{E} lapsum, ingrediar tamen voluntariè conversationem illam, omnium tentationum, quibus in ea imperendus sum, reus indubitate teneor.

CA.

C A P U T I I.

De Libertate ad Actum Humanum.

Libertas ut sic, sive essentialis nil est aliud, quam voluntas ex prævia directione rationis spontaneè se movens, & agens.

1. Utrum ad essentiam libertatis pertineat posse peccare?
2. Neg. Quia Christus in via liber fuit, & tamen peccare non potuit. Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Aug.
3. An ad essentiam libertatis pertineat posse agere & non agere?
4. Neg. Unde cum libertate in genere simul stat agendi necessitas, quia Christus in terra fuit liber, & simul inpeccabilis. Hæc tamen intellige de libertate in genere, prout ab hac vel ista libertate in speciali abstrahit; alias siquidem clarum est, neminem posse mereri, vel demereri, nisi per actionem, quæ sit in ejus potestate, & quam ponere possit, & non ponere.
5. Quomodo dividitur libertas in genere?
6. In pure essentiali, & accidentali. Pure essentialis, juxta S. Prosperum, est rei sibi placita spontaneus appetitus. Accidentalis est illa; quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere.
7. Quomodo libertas accidentalis aliter vocatur, & quomodo dividitur?

R.

q. Aliter appellatur *libertas contingentia*, *& in-*
differentia: & dividi solet in libertatem *con-*
trarietatis, *& contradictionis*.

Libertas *contrarietatis*, sive quo ad speciem
 actus est illa, *que in*differentiam tribuit ad eli-
 gendum alterum ex duobus actibus specie distin-
 git, V.G. ad amandum, vel odio habendum.

Libertas *contradictionis* est, *que potest* atem
relinquit eligendi alterutrum *contradictorio-*
rum, *qualia sunt agere, & non agere*.

5. Quae libertas requiritur ad merendum, & de-
 merendum?

q. Ad merendum, & demerendum (seclusis ex-
 trinsecis) requiritur libertas contradictionis,
 & non sufficit libertas essentialis. Constat ex
 Janseniana 3. damnata: *Ad merendum, & de-*
merendum in statu naturae lapsae non requiritur
libertas a necessitate, sed sufficit a coactione. De
 qua Pontifices Innocentius X. & Alexander
 VII. sic loquuntur: *Hæreticam declaramus, &*
ut talem damnamus. Proinde S. Aug. lib. de
 duabus animabus ita definit peccatum: *Vol-*
untas retinendi, vel consequendi, quod justitia
vetat, & unde liberum est abstinere.

6. An obdurati gaudeant, urgente precepto su-
 pernaturali, quod sine gratia adimpleri non
 potest, libertate contradictionis?

q. Admittere omnes quod vires libertatis in hu-
 jusmodi gravioribus peccatoribus multum
 debilitentur, proinde quod non gaudeant
 tam expedita libertate, quam alii, qui conti-
 nui

14 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

nuis peccatis se gratiâ non reddiderunt in-
dignos. An p̄tiventur omni gratiâ , dum
h̄c & nunc est agendum , cōsule saniores
Theologos.

7. An peccent similes peccato formaliter novo,
dum pr̄varicantur pr̄ceptum , cuius ob-
servantia modò obligat.

¶. Aff. Constat ex Apost. ad Rom. 1. cùm dixe-
rat Gentiles Philosophos , qui Deum cognos-
erant , sed non sicut Deum glorificaverant,
evanuisse in cogitationibus suis , addit: Ob-
scuratum est cor insipiens eorum , ut mutaverint
gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem
imaginis corruptibilis hominis , ac propter hoc
traditos à Deo in desideria cordis eorum , in in-
munditiam in passiones ignominiae , in repro-
bum sensum , ut faciant ea , quæ non conveniunt ,
&c. Postquam satis ostenderat vires liber-
tatis in iis fractas , accusat tamen eos de novis
peccatis , dicens : Repletos omni iniquitate , ma-
litiâ , fornicatione , avaritiâ , plenos invidiâ &c.
Hunc locum tuba Apostolâ lib. de nat. & grat.
cap. 22. ita exponit : Nec cogitat (Pelagius)
pr̄varicatorem legis quâm dignè deserat lux
veritatis , quâ desertus utique fit cecus , & PLUS
NECESSE EST , OFFENDAT An nulla pœna
est eorum , de quibus dicit Apostolus , obscura-
rum est ipsipiens cor eorum ? Et tamen per hanc
pœnam , id est per cordis cecitatem , quæ fit de-
serente luce sapientie , IN PLURA ET GRAVIA
collapsi sunt , &c.

CA

CAPUT III.

§. I. *De metu, & concupiscentia in ordine ad voluntarium, & involuntarium.*

PET. I. **A**N metus causet involuntarium simpliciter?

R. Negativè: Quod enim ex metu fit, simpliciter est voluntarium, quia omnibus consideratis voluntas illud amplectitur; verum sano sensu causat involuntarium secundum quid, eò quod causet actum, qui à parte rei involuntarius est, qualis est projectio merciū in mare.

2. An metus gehennæ, & pœnarum infernalium adeo queat esse intensus, ut peccandi voluntatem penitus excludat?

R. In Justis, in quibus non præexistit in peccatum affectus, metus hanc potest habere efficaciam. Non enim est in caretō difficultas, si non sit in habendo cupiditas.

Si sermo sit de peccatoribus, quorum cor non nisi difficulter avellitur à mundi illecebribus, hanc efficaciam metui ad ultimum gradum intenso denego. *Peccati desiderium non extinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendo, ubi fides per dilectionem operatur.* Aug. contra advers. legis cap. 7. Illa autem voluntas peccandi non profluit ex metu secundum se bono, sed ex affectu in peccatum præexistente.

3. Quid est concupiscentia?

R. *Est Passio, seu motus appetitus sensitivi, quo ad prosecutionem alicujus rei inclinatur.*

Di-

16 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Dividitur in antecedentem, & consequentem respectu *Operis*, & in antecedentem & consequentem respectu *voluntatis*.

4. Quæ est concupiscentia antecedens, quæ consequens respectu operis?

5. Antecedens est, quæ voluntatem inclinat ad agendum, & consequenter est causa operis subsequentis. Consequens est, quæ non est causa operis, sed ex illa potius nascitur.

5. Quæ est concupiscentia *antecedens*, quæ *consequens* respectu voluntatis?

6. Antecedens est illa, quæ ex sola apprehensione objecti delectabilis oritur in parte sensitiva, absque ulla intellectus deliberatione, vel consensu voluntatis. Consequens respectu voluntatis est, quæ libero voluntatis consensu deliberatè excitatur, vel excitata continuatur.

6. Quomodo se habet concupiscentia antecedens respectu operis ad voluntarium?

7. Auget voluntarium, sed minuit liberum. Ratio primæ partis est, quia concupiscentia blandè, fortiterq; voluntatem allicit, & inclinat, ut majori cum conatu, & fervore in objectū feratur.

Ratio 2. partis est, quia concupiscentia minuit cognitionem, & prudens judicium.

7. An concupiscentia subinde minuat voluntarium?

8. Aff. Quando voluntas agit contra inclinacionem concupiscentiae, ut dum concupiscentia incitat ad malum, & voluntas interim fertur in bonum; tunc enim concupiscentia facit, ut voluntas in bonum inclinetur languidiūs.

8. Quid

8. Quid dicendum de *concupiscentia consequente respectu operis*?
9. Illa nec auget, nec minuit *voluntarium*, vel *liberum*; est enim posterior opere voluntario, & libero.
9. An habitus, sive boni, sive mali, item bonæ, vel malè consuetudines augeant voluntarium?
10. Aff. Quia experientiâ constat, quod illi habitus efficiant, ut voluntas majori propensione, & conatu intensiori operetur, quia majorem in operando adferunt facilitatem.
- Nec refert, quod illi habitus diminuant liberum, quia & ista diminutio libertatis voluntaria est, sicut & ipsi habitus.
11. Quomodo peccat ille, qui *consuetudinem* habet pejerandi, quam se habere advertit, nec conatur exuere?
12. Peccat mortaliter propter occasionem proximam peccati, cui se exponit.
11. An peccatum ex *consuetudine* sit gravius altero, quod non fit ex *consuetudine*?
12. Aff. Quia *consuetudo* voluntaria signum est animi in malo obfirmati, & consequenter circumstantia ista in confessione est exprimenda.
12. Quid judicandum de eo, qui efficaciter conatur pejerandi *consuetudinem* contractam evellere, & interim ex inadvertentia pejerat?
12. Perjurium istud erit tantum *materiale*, non *formale*, quia non est amplius *voluntarium*, neque *in se*, ut supponitur, neque in *causa*, quia *consuetudo* est retractata.

§. 2. De Ignorantia.

Ignorantia est carentia scientia, seu notitia in subiecto illius capaci. Hæc triplex est: Negativa, privativa, & prava dispositionis.

Negativa dicitur: Carentia notitia non debita inesse, ut ignorantia jutium matrimonialium in virgine &c.

Privativa est, carentia notitia debita inesse, ut ignorantia articulorum fidei in homine christiano.

Ignorantia prava dispositionis, quæ alio nomine error vocatur, est judicium intellectus assentientis falsis, tamquam veris, aut contrà; ut judicium quo quis sibi persuaderet, Beatissimam Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam. Ignorantia ratione objecti dividitur

In ignorantiam juris, & facti. Ignorantia juris est, quando ignoratur lex, vel preceptum, & hæc pro diversitate legum dividitur in ignorantiam juris naturalis, & positivi, seu divini, seu ecclesiastici, seu civilis. Ignorantia facti est, quando ignoratur ipsum factum, seu actio, vel circumstancia illius, ratione cuius cadit sub legem; ut si quis hominem perimat, non hominem, sed feram esse existimans.

Dividitur ignorantia ratione subiecti, in quo est, in ignorantiam vincibilem, & invincibilem. Invincibilis est, quam quis vincere non potest adhibitis omnibus, quæ potest, & debet adhibere ad eam superandam: vincibilis à contrario definitur.

Ignorantia vincibilis dividitur in affectatam, cras-

crassam, supinam, & simpliciter vincibilem. Ignorantia affectata est, quâ quis expressè legem ignorare vult, ut liberius peccet: hæc directè est voluntaria.

Crassa, & Supina sunt tantum in causa voluntariæ, ut quando quis negligit debitam adhibere diligentiam, ut ignorantiam vincat. Si ignorantia difficulter superari possit, dicitur *simpliciter vincibilis*; si facile vinci queat, *crassa*; si facillimè, *supina*.

1. *Quomodo dividitur ignorantia in ordine ad opus?*

2. *In antecedentem & concomitantem.* Antecedens respectu operis dicitur illa, quæ est *causa operis*, scilicet per modum removentis prohibens; removet enim ab intellectu scientiam, quæ si adesset, actus non poneretur.

Ignorantia *concomitans* respectu operis est, quæ quidem conjuncta est operi, non est tamen *causa illius*, quia quidem opus fuisset positum, tametsi ignorantia abfuisset. Talis est in eo, qui ratus feram esse, inimicū occidit, quem quidem occidisset, licet inimicū esse scivisset.

2. *Quomodo dividitur ignorantia in ordine ad voluntatem?*

3. *In antecedentem, & consequentem.* Antecedens est, quanullo modo est voluntaria, nec directè, nec indirectè. Consequens respectu voluntatis dicitur, quæ voluntaria est.

3. *Quis est effectus ignorantiarum antecedentium respectu voluntatis, & operis?*

20 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

¶. Quòd actio, quæ ex tali ignorantia fit, sit ~~simpliciter~~ voluntaria secundùm id, quod in ea involuntariè ignoratur.

Dictum est, secundùm id, quod in ea ignoratur: quia licet Judas cognoscendo Thamar incæstum non commiserit, quia eam nurum suam invincibiliter ignoravit, fornicationis tamen reus fuit, quia eam scivit non suam.

4. Quis est effectus ignorantiae consequentis respectu voluntatis?

¶. Non causat involuntarium simpliciter; quia cùm talis ignorantia voluntaria sit, etiam effectus ex ea secutus voluntarius falso est in causa.

Notate pro praxi, quòd si ignorantia, quæcumque illa sit, si antecedat opus, & sit omnino involuntaria, etiam effectus sit involuntarius; & eo modo effectus est voluntarius, quo ignorantia est voluntaria. Si ignorantia gravis, etiam effectus graviter culpabilis est, &c.

5. An ignorantia sit quandoque formale peccatum distinctum ab eo, quod per eam fit?

¶. Aff. Quia sicut omittere, quod quis tenetur facere, est peccatum omissionis, ita nescire, quod quis tenetur scire, peccatum est ignorantiae. Hinc qui fornicatur, ignorans fornicationem esse peccatum, duplex committit peccatum.

6. Potestne dari ignorantia invincibilis juris humani, & juris positivi divini excusans à peccato?

¶. Aff. Quia eorum notitia dependet ab aliquo, quod

quod non est in nostra potestate, nempe ab auditu, & promulgatione.

7. An ignorantia invincibilis juris naturae excusat a peccato?

R. Aff. Si talis ignorantia detur: tollit enim omnem voluntateitatem respectu malitia actionis. Ita declaravit Alexander VIII.

Inquirunt Theologi, an talis ignorantia detur. Conveniunt, quod non detur, quantum ad illa generalia præcepta: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris* &c.

Schola Augustiniana sustinet, quod illa ignorantia non detur, etiam quoad remotiora præcepta, quæ non nisi valde difficulter ex primis principiis deducuntur, quando nimirum hic, & nunc est agendum.

Ratio est: quia vel justus est, vel peccator; si justus, Deus gratiam non subtrahit, nec sufficiens lumen, quo videat æquitatem &c. sui contractus &c. Si peccator; dat causam ignorantiae per admissionem obstaculorum, & admissionem gratiae necessariæ.

8. An illa ignorantia invincibilis, si admodum difficulter sit vincibilis, peccatum diminuat?

R. Aff. Manifestum est, quod non tam graviter delinquit, qui a grè admodum deprehendere potest actionis suæ malitiam, quam ille, qui eam cognoscit, aut facile potest cognoscere.

9. An detur ignorantia invincibilis facti, etiam in jure naturae?

R. Aff. Unde qui dicit uxorem alienam, nesciens

22 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

esse alienam, tunc demum fit adulter, ubi eam
alienam esse cognoscit, nec tamen discedit.

10. An ad formale peccatum requiratur actualis
reflexio, vel dubium de malitia actus?

11. Neg. Sed sufficit, quod homo ponat actum,
cui malitia est annexa, quam cognoscere
potest, & debet. Hinc *contraria sententia est*
contra communia religionis Christiana principia,
qua etiam immanissima peccata excusat cum
pernicie animarum. Ita facultas Theologica
Lovan. anno 1657.

C A S U S VI.

*Quid agendum Confessario deprehendenti pæni-
gentem laborare ignorantia articulorum fidei scitis
necessariorum, & quidem necessitate medii?*

RE. Attendendum esse originem: quandoque
enim habetudo oritur ex peccato, cui alligatus
est, & hic presumendum, quod cæcus sit per pec-
cata, ut ait S.Thom. 2.2. q. 15. a. 1. & 3. Confes-
satio allaborandum est, ut tollatur impedimen-
tum, proponendo peccati fæditatem, pericula,
damna &c. adhibitis efficacioribus divinarum
literarum testimoniis, deinde mysteriis fidei
imbuere.

Quandoque oritur ex eo, quod animus totus
transitoriis & terrenis immersus non elevetur
ad sublimiora fidei arcana, ut contingit sæpè in
agricolis, qui animi sui intentionem non ultra
agrum & ligonem protendunt, & his proponen-
dum, quod non tantum salvari non possint illi,
qui in graviora labuntur criminis, sed neque hi,
qui

qui majorem corporis curam gerunt, quam animæ, qui Deum, aut cælestia numquam, aut rationis cogitant &c. proponendo fidei necessitatem ad salutem &c.

Quandoque ignorantia procedit ex naturali complexione, quod prudens confessarius colliget ex eo, quod etiam in aliis rebus cogitandis, retinendis, atque agendis rudis sit. Si eum timoratæ reperit conscientiæ, & horrorem à peccato habentem, seque, ut instruatur, paratum exhibentem, adhuc tamen post instructionem hebes maneat, poterit ipsi absolutionis beneficium impendere, præviè tamen prælegat actus fidei, moneatque, ut iisdem verbis, quibus præivit confessarius, illos efformet.

Ruditas quandoque ex senio provenit; inquirendum, an fidei mysteria juvenis tenuerit, & christianè vixerit; quod si ita, sine anxietate potest illi (si nihil aliud obstet) Sacra menta administrare, præformando illi actus fidei &c. Si vero nec ante ista satis sciverit, nec satis Christianè vixerit, laborandum est, ut saltem illa discat, priusquam Sacra menta administrentur. Si vero non speretur fore, ut cum senio hebetudo ista minuatur, timeatur vero ne crescat, temporis providendum est, ne factus sensim ignorantior, postea cum minoris dispositionis verisimilitudine Sacra menta suscipere cogatur.

C A S U S VII.

Quidam, in juventute carnis spurciis deditus, sapientie mollitiei committit peccatum; vadit ad confessio-

24 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

fessionem uerato, alia commissa confiteretur, non accusando se de pollutionis peccato, eo quod nullam in eo deprehendat malitiam. Postea fœditatem ejus ex confessario cognoscit. Quid agendum?

R. Ordinariè talem inducendum ad confessionem generalem, in qua explicare oportebit, quoties à peccati istius commissione Sacramentum Eucharistiae & Pœnitentiae suscepit. Ratio est, quia in similibus admitti non potest ignorantia: unde sicut malitiam cognoscere potuit, ita eam in confessione exprimere debuit.

Deinde meritò præsumitur, quod similia recteantur non ex ignorantia, sed ex verecundia. Hoc declarabit sequens

METHODUS

Examinandi Pœnitentem circa fœdæ pollutionis peccatum.

Hanc tradit Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, vir pietate juxta & sollicito salutis proximi desiderio illustris. Consideratione nonā summopere cavendum jubet, ne Confessorius simul atque peccatum quoddam gravius inaudivit, se admirabundum, tristem, vel austерum exhibeat; per hujusmodi namque mox claudios pœnitentis existimat. Principio itaque affabili sermonem, vultum sub-blandum, eumque in spiritu lenitatis (monente Apostolo) agendi exigit modum, quo pœnitenti, candidè peccata sua detegendi, fiat omnino fiducia. Huc non pa-

rum

rum facit, si pœnitens subinde non nihil laudetur à candore, quo statum suum notum facere cœpit, & conscientiæ sinum usque eò aperire.

Hoc vel maximè opportunum est, quando Confessarius prospicit peccata magis pudenda secutura. Hortetur ipsum ut candidè peccata aperiat, nihilque tam occultum, tam pudendum dici posse Confessario, quin istud, & eò graviora, magisque pudenda jam pridem, vel ex aliis vel in libris lectorit.

„Procedat (subjicit Gerson, confid. 12.) Confessor in inquisitione peccatorum, & specialiter peccati carnalis (quod à multis cum summa difficultate vix potest extorqueri) primò pe- detentim, & à generalioribus incipiat, & quæ nullam, aut paucam videantur includere culpam.„

Confid. 15. „Sciat Confessor generalitates esse has, & similes: fuisti umquam in societibus famulorum, aut sociorum? & specialiter in lecto? Si sic: audivisti umquam malum, (ut sèpè fit) loquendo de impudicitia, & mulieribus? si sic: loquebaris tu similiter, & si mala desiderabas? & si sic: utrùm voluerit umquam quòd tangeres eum in honestè, vel ipse te? si sic: fiat processus ulterior sub velamine tali, quòd intelligat, an commissa fuerit ibidem mollities, siye pollutio: & hoc peccatum, (inquit) benè committitur ante pubertatis annos.

Confid. 16. hoc adjicit monitum: „Nec aspiciat fixè vultum pœnitentis Confessarius in ista

26 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

„pudenda inquirens, sed divertat Confessor
 „vultum suum, quasi non curans, dicendo, ego
 „benè video, tu fecisti sic, & sic: „, consequen-
 ter dic ergò totum.

Post hæc consideratione 17. examinis hujus
 necessitatem adstruit. „Utinam, inquit, mala
 „à pueris & aliis tam diligenter confiterentur,
 „quàm sciuntur & aguntur ab eis. „, Si mani-
 festato peccati vulnere afferat pœnitens se igno-
 râsse actum pollutionis esse peccatum, eum in
 hunc modum convincat, inquirendo, an hujus-
 modi fœditates committere auderet in conspectu
 proborum hominum, an, quæ fecerit, auderet
 revelare: interroget, quare solicite latebras quæ-
 rat, ne deprehendatur &c. deprehendet quòd
 indita sit ad minus turpitudinis suspicio. Postea
 „debet cum summa detestatione peccatum tale
 „damnare, quasi non caderet etiam in hominem
 „tale aliquid agere. „, Denique consideratione
 19. ita loquitur: „Congruit, prout expertus
 „sum, quòd parvuli adolescentes masculi priùs
 „interrogentur modo dicto de cohabitatione
 „sociorum, & famulorum, tamquam de his, quæ
 „primâ fronte minùs horrent, quia minùs inso-
 „lita sunt: postmodùm quæratur de cohabita-
 „tione mulierum, & primò, si umquam in ætate
 „quinque, sex, septem annorum, vel eò circa
 „jacuerint cum ancillis, sicut mos est puerorum,
 „& hîc conformiter inquiratur non solum de
 „ancillis, sed etiam de genere proximiori, ad
 „qualia non descendatur, nisi quasi subitò, &
 „à la-

„à latere, dicendo sine mutatione vultū: ô bo-
„ne! video quòd similiter fecisti cum talibus,
„& talibus &c. „

Fœminis similiter faciendæ sunt interrogatiōnes, priūs de cohabitatione mutua secum, hoc est, an habitent cum aliis puellis, num habitent cum personis alterius sexūs &c. conformiter ad suprà dicta. Concludit laudatus Author: „Ego „coram Deo testor, me plures talibus remediis „induxisse ad confessionem, qui fatebantur, „numquam etiam in articulo mortis fuisse talia „dicturos cuicunque; laudabant tamen Deum „totis visceribus, gratias agentes, quòd ita se „aperuerunt.

C A P U T I V.

De circumstantijs Actuum humanorum.

Actuum humanorum circumstantias apprimē noscat confessarius, quæ videlicet mutent speciem, quæ intra eamdem speciem notabiliter aggravent, vel diminuant. Hinc si pœnitens, cuius statūs non habetur cognitio, sua generaliter exponat peccata, inquirat primò, an sit uxoratus, an yoto castitatis Deo adstrictus, &c. quantum furatus fuerit, ut juxta qualitatem morbi, congrua præscribat remedia, & juxta magnitudinem delicti, salutares pœnitentias.

1. Quot sunt circumstantiæ actūs humani?
2. Principales sunt septem hoc versu comprehensæ:

Quis, Quid, Ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quāda,

Cit-

28 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Circumstantia quis designat qualitatem personæ agentis, V. G. quòd scortator sit yoto castitatis, aut matrimonio obstrictus.

Quid, designat secundariam objecti conditionem, V. G. quòd res, quæ auffertur, sit sacra, aut magnæ quantitatis.

Ubi, denotat qualitatem loci, V. G. quòd homicidium fiat in templo.

Quibus auxiliis, significat qualitatem mediorum, quæ ad agendum applicantur, V. G. quòd solutio maleficii procuretur ope dæmonis.

Cur, exprimit finem extrinsecum, quem sc. agens sibi proponit, V. G. quòd quis furetur ad fornicandum.

Quomodo, indicat accidentalem operis modum, V. G. intensionem, voluntateitatem, libertatem, coactionem, V. G. quòd stuprum fiat violentè.

Quando, significat tempus, vel temporis durationem, V. G. quòd quis persistat anno integrō in affectu occidendi, affectu odii &c.

Aliæ sunt circumstantiæ mutantes speciem, aliæ intrà eamdem speciem notabiliter aggravantes.

2. Quæ circumstantiæ dicuntur mutare speciem?

3. Quæ actum transferunt ad aliam speciem peccati, ad quam non pertineret, si tales circumstantiæ abessent: ut si copula habeatur cum uxore aliena; tum enim circumstantia persona, cum qua habetur copula, facit actum per-

- pertinere ad adulterium, cùm tamen aliás non pertineret nisi ad simplicem fornicationē &c.
3. Quæ circumstantiæ aggravant, vel diminuunt actum intra eamdem speciem?
3. Quæ augment, vel diminuunt bonitatem, vel malitiam actūs, non transferendo eum ad aliam speciem: ut si quis furetūt 100. imperiales; tunc peccatum est quidem gravius, quām si unicus imperialis auferretur, sed semper remanet in specie furti.
4. Unde collendum, quòd actus humanus transferatur, vel non transferatur ad aliam speciem propter circumstantiam sibi adjunctā?
4. Tunc transfertur, quando circumstantia secum adfert honestatem, aut turpitudinem alterius rationis, facitque actum esse conformem, aut difformem speciali regulæ rectæ rationis, ac diversæ ab illa, cui actio secundūm se foret aliás conformis, aut difformis, aliás non transfertur.
5. Quandonam circumstantiæ intrà eamdem speciem dicuntur notabiliter aggravare?
5. Relinquendum id est prudentum judicio. Communiter tamen assignatur hæc regula: *Circumstantia tunc notabiliter aggravat, quando per se ad peccati mortalis constitutionem sufficeret. Sic supposito, quòd ad furtum mortale sufficeret ablatio medii imperialis, & aliquis integrum auferat, censebitur furtum virtualiter duplicate, & consequenter circumstantiam addere notabiliter aggravantem.*

30 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

6. An circumstantiae peccatorum sint exprimenda in confessione?

RE. 1. Circumstantiae mutantes speciem debent necessariò exprimi in confessione. Trid. Sess. 14. c. 5.

RE. 2. Etiam circumstantiae notabiliter aggravantes, aut diminuentes malitiam intrà eamdem speciem debent exprimi propter eamdem rationem de circumstantiis speciem mutantibus in trid. adductam; quia alias Confessarius non potest perfectè judicare de causa pœnitentis, nec congruentem imponere pœnitentiam.

Exactam tamen aggravantium expositiōnem non semper exigo quoad actus carnales, quorum sordes anatomicè scrutari, easque memoriam recoquere, suo sœpè novæ coinquinationis non caret periculo. Quare Confessarius, quod spectat ad carnis peccata, summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cum peccati speciem, & graviores circumstantias audierit, à ceteris abstineat. S. Car. Borg. in Instructione Confess.

C A S U S V I I I.

Pœnitens circumstantias speciem mutantes, vel determinatum peccatorum numerum numquam expressit, ignorans similia exprimi debere. Quæritur, an ad confessionum præteritarum iterationem sit adiendus?

RE. Si ignorantia deprehendatur inculpabilis, ex hoc saltem capite repeti non debent; secus vero dicendum, si culpabiliter id ignoratum sit, & tunc,

CAPUT IV.

31

& tunc, si nihil obstat, tutiū est pœnitentem suaviter inducere ad repetendas confessiones præteritas. Existimo autem in praxi confessariū rato moraliter certum esse, quod talis ignoratio planè insuperabilis, & inculpabilis fuerit.

CAPUT V.

De Conscientia, ejusque divisionibus.

COnscientia sumpta, non pro memoria, seu recordatione ejus, quod à nobis bene, vel male gestum est, sed pro iudicio, quod circa aliquid agendum versatur, describitur: *Persuasio, seu existimatio, quo aliquid in particulari licitum, vel illicitum judicatur.*

1. Dividitur in *rectam, & erroneam*. Recta est, quæ, quod licet, licitum, quod non licet, illicitum arbitratur. Erronea à contrario est explicanda.

2. Dividitur in *dubiam, probabilem, & scrupulosam*.

*Claritatis gratiâ placet materiam hanc
Casibus perstringere.*

CASUS IX.

PAULUS rem suam invincibiliter putat esse alienam, potestne eam tuto retinere?

Ex. Non potest, sed tenetur eam alteri tradere, retinendo enim, quantum in se est, consentiret in peccatum, paratusque esset illud admittere, quemadmodum, qui ex simili errore cibum innoxium veneno infectum putaret, tenetur à tali abstinere.

Si

32 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Si error sit vincibilis, non licet contra conscientiam ei innixam agere, nec conformiter ad eam, ubi rem vetitam præceptam exhibet, aut contrà, sed eam deponere necesse est.

C A S U S X.

Petrus mercator init contractum, dubitat de ejus justitia, nec certum est, nec incertum, an peccet, suspendit omne iudicium, & contractum firmat. Quæritur, an in re notabili peccati mortalis reus?

R. Aff. Quia exponit se periculo peccandi, cùm nullam de actionis suæ honestate habeat persuasionem.

Nec refert, quòd fortè contractus non sit contra justitiam, quia hoc à solo pendet eventu, quòd actio de se mortifera non sit. *Quid igitur agendum habenti conscientiam negative dubiam?*

R. Abstinendum esse ab actu, ob evidens peccandi periculum, & si incumbat agendi necessitas, debet dubium suum eò usquè deponere, ut persuasionem habeat de actionis suæ honestate. Consulat viros doctos, postulet à Deo superni luminis gratiam, attendat, & expendat rationum monenta &c.

1. An nunquam liceat sequi conscientiam vincibiliter erroneam?

R. Aff. Dum scilicet conscientia versatur circa materiam non prohibitam. Sic V. G. si quis putet, incumbere obligationem eleemosynæ dandæ, & interim obligatio non est, potest illam conscientiam sequi.

2. Quotupliciter potest conscientia esse dubia?

R. Du-

3. Dupliciter: sc. positivè & negativè.

Conscientia positivè dubia est illa, quæ *judicat aliquid licitum, vel illicitum esse cum formidine de opposite.*

Negativè dubia, quæ non est propriè dicta conscientia, est, *suspensio omnis assensū circa licentiam agendi, vel non agendi; ut dum quis in medio utriusque partis fluctuans, assensum suum ad partem alterutram determinare non valet.*

3. Quæ est conscientia probabilis?

4. Quæ innititur opinioni, seu sententiæ probabilis: sententia autem probabilis est, *sententia verisimilis, quæ nempe habet apparentiam veri, non tamen certitudinem.*

Alia est ab intrinseco probabilis, alia ab extrinseco. Probabilis ab intrinseco est illa, *quæ habetur vero-similis ob rationum momenta, quibus innititur.* Sententia probabilis ab extrinseco est, *quæ habetur vero-similis ob authoritatem afferentium V. G. D. Thomæ &c.*

4. Estne licitum in moribus componendis sequi sententiam *minus tutam, præcisè propter probabilitatem?*

5. Neg. Quia numquam licetè agimus, nisi moraliter certi simus de actionis nostræ honestate. dum autem sequimur sententiam probabilem, præcisè ob illius probabilitatem, non habemus moralem certitudinem de actionis nostræ honestate, quandoquidè sola probabilitas non pariat nisi verisimilitudinem, periculi plenam.

C

Re-

Resolutio etiam locum habet in administratio-
tione Sacramentorum, ut patet ex hoc primo
inter damnatos ab Innoc. XI. articulo: *Non
est illicitum in Sacramentis conferendis sequi
opinionem probabilem de valore Sacramenti, re-
licita tute.*

5. An numquam liceat sequi sententiam proba-
bilem?

6. Numquam licet eam sequi *quà talem*, sed si
cum probabilitate sententia occurant aliæ
graves rationes, ob quas formari posset dicta-
men conscientiæ moraliter certum de actio-
nis honestate, licitum erit sequi sententiam
practicè probabilem. Gravis autem ratio est
agendi necessitas, quæ facit, ut liceat ponere
actionem, quæ probabiliter rectæ rationi dis-
sonat.

Talis autem necessitas est, quando omissione
actionis æquè probabiliter rationi disformis
est, & nata est inducere plura incommoda.
Declarari potest in marito dubitante de valo-
re matrimonii, qui stante dubio ob rationes
allegatas tenetur debitum reddere.

In administratione Sacramentorum con-
clusio etiam locum habet, quando Sacerdos
in casu necessitatis, non habens materiam
certam, potest, & debet sub conditione ad-
hibere incertam. Sacraenta enim sunt pro-
pter homines, & per remedia fortè profutura
tenetur consulere saluti proximi, ubi certa
non habet.

6. Quid

6. Quid est conscientia scrupulosa?

R. Est vanus timor, seu anxietas sine fundamento.

Regulæ procedendi cum scrupulosis.

PRÆSCIENDUM, scrupulos oriri ex quinque capitibus. 1. Ex nimio amore sui. 2. Ex nimia superbia, quâ quis proprio judicio nimis solet inhærere, nec aliorum dictis acquiescere vult. 3. Ex dissidentia, quâ scrupulosi timent, ne ab aliis decipientur. 4. Ex naturali complexione V. G. melancolia &c. 5. Ex justitia Divina, quæ hominem in pœnam peccati liberiùs commissi, scrupulis involvi sinit, ne in peccandi libertatem coincidat.

Confessarius cum scrupulosis vel omnes, vel aliquas ex his regulis servabit.

1. Ubi deprehendet aliquem verè scrupulosum, numquam, aut saltem non nisi rarissimè permittat, ut pœnitens se suis conformet scrupulis, quamdiu scrupulosus non est quasi paratus jurare rem sibi esse certam: Hinc stultè anxiū de vita præterita, non permittat loqui de peccatis præteritis, ea repetendo &c.

Dixi verè scrupulosum. Non enim ubi quis de repetendis confessionibus &c. angitur, statim scrupulosus est; nam justi sunt sæpè illi timores à Deo incussi: Hoc sæpè experiuntur proiectiæ ætatis homines, qui in flore juventutis laxè vixerunt, habenas dantes cupiditatibus &c.

2. In dubiis Confessor præsumat scrupulosum non peccâsse, quia anxietas, quâ torquetur con-

C 2 tinuè,

36 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

tinuè, ipsum dubitare non sineret, sed certum redderet, si peccasset.

3. Si sciat Confessarius, solos scrupulos pœnitentem à Communione &c. retrahere, adigat eum imperio suo, ut communicet, &c. etiam sine absolutione. Quare

4. Omni studio conetur, ut pœnitens obedientiam sibi promittat saltem ad tempus, et adactus hoc voto non audeat infringere timore peccati certò committendi mandatum Confessarii, quod mandatum suum justum, ut efficacius demonstret confessor, juvabit interdum consilii ergò pœnitentem mittere ad alium probum & prudentem.

Ad scrupulos radicis tollendos, pœnitens judicio se conformet prudentis Confessarii, quem scire debet Dei locum supplere. 2. Coram Deo se humiliet, & mentis flagitet illuminacionem. 3. Quia scrupulus provenit sœpè ex proprio amore, exerceat se in actu divini amoris, ejus solam gloriam intendens, stolidam sui ipsius curam negligat, fiduciam habeat in eo, cui non deest cura de omnibus.

C A S U S XI.

Quidam Presbyter, dum perveniebat ad consecrationem Calicis, herebat, & dubitabat, utrum convenienter pronuntiasset verba consecrationis, utrum habuisset intentionem Eccl. ita turbatur, ne pra angustia miro gestus oris & corporis præferret. Quæsitum fuit, quid Confessarius dicti Presbyteri deberet in tali casu facere, maximè quia ille

ille presbyter allegabat futurum periculum
omittendi aliquod verbum consecrationis, nisi
antea hæreret, & quasi deliberaret?

R. Confessarium dicto Præsbytero debuisse
præcipere, ut nullo modo hæreret, sed unico
tractu conjungeret verba consecrationis verbis
præcedentibus: hæsitatio enim illa, & delibera-
tio adferebant notabile, & quidem spirituale in-
commodum, in celebrando indecentiam, infamiae
periculum. Ex alia parte certum erat, dictum
præsbyterum habuisse sufficientem intentionem
consecrandi. Unde queinadmodum stultum fo-
ret querere, utrum quis haberet intentionem
montem condescendi, quem graviter onustus
non sine ingenti labore & sudore condescenderet,
ita similiter.

CASUS XII.

*Quadam Devota vexatur variis scrupulis, & cogitationibus, V.G. inter legendas preces veniebat in mentem, quod Deus non esset justus, cælum non exstaret &c. nullum autem consensum dabant, sed credebat illas cogitationes immitti à demone; unde verbotenus respondebat: Deum esse justum &c. non consentio, idque ideo, quia timebat, ne alias vide-
retur consentire. Quæsitus fuit, utrum prædicta devota prudenter se gesserit verbotenus respon-
dendo?*

R. Eam pessimè egisse respondendo, quia talis responsio stultas fovebat cogitationes, quæ non erant dignæ responso, sed contemptu. Ipsa enim attentio ad scrupulū vitandū, scrupulū parit.

TRACTATUS
DE
PECCATIS IN GENERE,
ET IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

Quid peccatum & quomodo dividitur.

MEritò Scriptura S. Amos 6. v. 14. superbis & in deliciis agentibus ait: *Qui latamini in nihilo, numquid assumpsimus nobis cornua in fortitudine nostra?* Nil miri; peccatum enim, si fieri posset, Deum ipsum, ejusque attributa ad nihilum redigeret; & cum Deus sit æterna virtutum ratio, peccato se coquinantes, Deum quasi negant, & persequuntur; & ideo hoc malum Deus infinito prosequitur odio, ad cuius horrorem tangitur dolore cordis intrinsecus. Tam hortendum monstrum nosse, penè viciisse est.

Placet hæc peccati delineatio: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* S. Augustinus lib. 22. contra Faustum.

Dividitur in actuale, quod modò definitum est, & originale, quod ab ortu nobis ex Adamo est congenitum.

Dividitur actuale in carnale, & spirituale.
Car.

Carnale est, quod carnali sensuum delectatione perficitur, vel circa eam versatur.

Spirituale est, quod independenter à delectatione carnis, & illecebris sensuum perpetratur, ut ira, superbia &c.

Dividitur 2. in peccatum infirmitatis, ignorantiae, & malitiæ.

Peccatum infirmitatis est, quod oritur ex speciali passione appetitus sensitivi voluntatem ad consensum inclinantis. Ignorantiae est, quod ex ignorantia vincibili nascitur. Malitiæ, quod plena libertate, advertentiâ, ac destinatâ voluntate committitur.

Dividitur 3. famosè in mortale, & veniale. Difficile admodum inter utrumque discernere, præsertim in affectionum quantitate, divitiarum appetitu, aut honorum ambitione. Verumtamen pro praxi attendantur hæ quinque sequentes

R E G U L Æ.

1. Quando SS. Literæ tradunt aliquod peccatum Deo execrandum, Deo exosum, dignum morte spirituali, vel temporali, pœnâ æternâ, vel igne puniendum, excludere à regno Dei &c. vel comminatur vœ, significatur esse mortale. Hanc regulam tradit S. Aug. in Enchir. ad Laur. cap. 78. 79.

2. Dignosci etiam potest ex gravitate pœnæ, quæ ab Ecclesia infligitur, ut excommunicatio &c.
3. Ex eo, quod superior suis religiosis aliquid mandet sub obedientia formalis, quia tales clausulæ non sunt in usu, nec esse possunt, nisi ubi est materia vel ex se, vel ex circumstantiis

40 TRACTATUS DE PECCATIS.

gravis. Si oriatur dubium, an superior iustè præcipiat, standum est obedientiæ.

4. Est traditio Ecclesiæ, & doctorum virorum authoritas.
5. Materia gravis, quæ desumitur non ex solo rationis objecto, sed ex circumstantiis tam operantis, quam legislatoris.
1. Quot modis peccatum ex genere suo mortale, potest fieri ex accidenti veniale?
- ¶. Tribus: 1. ex *surreptione*, propter defectum deliberationis. Sic ira ex genere suo mortalibus, fit venialis ex subito motu.
2. Ob parvitatem materiæ, ut in furto unius assis.
3. Ex defectu judicii sufficientis ad mortale, ut contingere potest in semi-dormientibus, pueris, & non abundè ratione utentibus.
2. Quot modis veniale ex genere suo potest fieri mortale?
- ¶. 5. 1. Quando in veniali constituitur absolute finis ultimus.
2. Si quis veniale ordinaret ad mortale, E. G. diceret verbum otiosum directum ad forniciandum.
3. Ex conscientia dictante esse mortale.
4. Ex contemptu.
5. Dispositivè, ratione periculi, quod qui amat, peribit in illo.
3. Quid requiritur ad formale peccatum?
- ¶. 1. Ut sit voluntarium, deinde consensus voluntatis, saltem indirectus, & interpretativus, denique libertas, conformiter ad antè dicta.

RE.

REGULÆ

*Dignoscendi, quando peccata multiplicentur
quoad numerum.*

Notandum, illa peccata specie differre, quæ
habent specialem malitiam, & alterius rationis,
ita scilicet, ut non eidem, sed diverso, ac speciali
rationis dictamini repugnant, aut præcepto.

Illa differunt solo numero, quæ differunt pe-
nes multitudinem, non autem penes oppositio-
nem cum diverso, ac speciali rationis dictamine.
His dictis

1. *Quando voluntas peccandi interrumpitur,
tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis
moraliter interrupti propter defectum conjunctionis
allorum actuum, vel ordinationis ad se invicem.*

Interrumpitur autem voluntas 1. propter mu-
tationem in contrarium. Patet in fure ad au-
fereñdum determinato, rursum voluntatem mu-
tante &c. in aperiente arcam &c. toties peccat,
quoties voluntas immutatur.

2. *Quando voluntas ita se habet, ut ne qui-
dem virtualiter censeatur manere, sed alia suc-
cedere. Patet in furibus opportunitatem quæ-
rentibus in templo, vel consortiis nunc unius,
nunc alterius bursam clependi &c.*

3. *Dum voluntas versatur circa plura objecta,
licet ejusdem rationis, quæ tamen sese non ha-
bent per modum unius, est quidem unus physicè
actus, sed multiplex in genere moris; nam ob-
jectorum ad se non ordinatorum diversitas facit,
ut morali aestimatione censeantur totidem actus*

inter se distincti: sex proinde peccatorum reus est, qui actu unico sex occidit homines. Intoxicans puteum publicum, aut volens intoxicare, (voluntas enim efficax pro facto computatur) exprimat, quot homines inde aquam bibere solent.

R E G U L Æ

*Cognoscendi, an quis perfectè, vel imperfectè,
in peccatum consenserit.*

1. Si dubitans sit timoratæ conscientiæ, & magno odio prosequatur peccatum, nec soleat in ista materia peccare, præsumendum est, non adfuisse voluntarium perfectum, quia in dubiis desumitur fortissima præsumptio ab assuetis. Si verò dubitans sit conscientiæ laxæ, soleatque peccatis istis consentire, resolvendum in dubio adfuisse plenum consensum.

2. Dum ab actu interiori non proceditur ad externum, signum potest esse in persona timoratæ conscientiæ, quod non perfectè consenserit.

3. Quando quis dubitat, an fecerit aliquid in Somno, vel in Vigilia, & est anima timorata, signum est non deliberati consensus.

4. Horror peccati, timor, pœna, tristitia tam antecedens, quam concomitans, dum quis prævis motibus divexus est, quamdiu ratio superior resistit, etsi in parte inferiori tentationem superare non possit, signum ordinarium est non adfuisse voluntarium perfectum: si tamen horror, tristitia, &c. oriuntur post actum patratum, non est signum dissensus.

CA-

CAPUT II.

De Concupiscentia, ejusque motibus.

COncupiscentia, quæ & peccatum internum nominatur, solo peccantis animo perficitur, ita ut nullius operis externi positione appareat, ut si quis fornicari desideret.

Desiderium hoc duplex est: unum *inefficax*, seu conditionatum, quod fornicatur sub aliqua conditione, V.G. vellem furari, si peccatum non esset. Alterum *efficax*, seu absolutum, quod fornicatur sine ulla conditione.

Quod desideria efficacia rei malæ sint peccata, constat ex duobus ultimis præceptis Decalogi.

1. An etiam desideria inefficacia seu conditio-
nata rei malæ sint peccata?
2. Sub distinctione: vel enim sub conditionis
adjectæ pallio latet complacentia, vel affectus
erga rem malam, & desideria ista inefficacia
peccata sunt. Vel nullo modo talis affectus
subest, & peccata non sunt. Quilibet in hac
materia seipsum sincerè consulat.
2. Quid judicandum de his, similibusve discur-
sibus: *Si non essem in religione, vel in sacris Or-
dinibus, uxorem ducerem?* Item: *Si non esset
bodie jejunium, manducarem carnes?*
2. Non sunt semper à peccato immunes: licet
enim omnis complacentia, & affectus malus
absit, periculum tamen est maximè in materia
carnis, de se voluntatem inclinante, ne irre-
pens

pens exurgat complacentia. Desiderare carnes die jejuni, casu quo jejunium non esset, per se peccaminosum non est, nisi illud desiderium audientibus pusillis offendit, aut scandalum generet.

3. Quid est delectatio morosa?

¶. Est delectatio animi, sive complacentia in objecto malo cogitato, absque voluntate opus malum perpetrandi.

4. An delectatio morosa dicta sit à mora temporis, quo mens in ipsa hæret & moratur?

¶. Neg. Morosa enim delectatio, dum sufficiens adest voluntatis consensus, unico momento haberi potest.

5. Qualis advertentia rationis est necessaria, ut delectatio morosa sit peccatum mortale?

¶. Ut peccatum imputetur in individuo ad culpam mortalem, non sufficit deliberatio imperfecta, sed requiritur plena, & perfecta, alias peccatum erit tantum veniale. Peccatum enim mortale est quid perfectum in genere moralis, ergo etiam debet quid esse perfectum in genere Actus humani.

¶. 2. Postquam ratio perfectè advertit, & deliberavit, motum insurgentem in appetitu esse peccatum mortale, aut constitutere hominem in periculo peccandi mortaliter, si non reprimit illum, cùm possit, sed dissimulat merè negativè se habendo, jam ex tunc peccatum morosæ delectationis incipit esse mortale, quia homo censetur consentire virtualiter, aut in-

interpretativè in delectationem, & motum illicitum.

6. Estne semper peccatum mortale, pravos concupiscentiæ motus, post rationis advertemtiam, non reprimere, sed negativè se habere?
- ¶. 1. Absente justâ causâ, si motus ejusmodi non reprimantur, putâ, quia voluntas se tepidè gerit, aut motus istos non curat, probabilius est, eum peccare, & quidem mortaliter, quia tunc censetur interpretativè in ejusmodi commotiones consentire.
- ¶. 2. Si adsit justa causa, & secludatur consenus, aut voluntariæ delectationis periculum, non erit peccatum, motus illos mox non reprimere: atque ita excusantur Confessarii, chirurgi, qui occasione legitimi munieris, tales subinde motus experiuntur.
- Imò excusari poterit ille, qui prudenter timet, ne, si præsentes motus conetur reprimere, in fortiores incidat, aut molestiores.
7. An sit peccatum mortale delectari de pollutione, quæ in somno sine culpa accidit?
- ¶. Aff. Etiamsi delectatio de illa fiat ob bonum finem, V. G. ob sanitatem, quæ occasionaliter fortè secuta est; sicut enim nefas est pollutio nem ex bono fine appetere, ita & etiam nefas est, de illa ob finem bonum delectari.
8. An delectatio morosa desumat speciem ab opere externo, circa quod versatur, ita ut si opus externum plures malitias contineat, delectatio eas participet?

¶. 2.

46 TRACTATUS DE PECCATIS.

- ¶. Licet speculativè loquendo opposita plausibiliter defendi queat, attamen affirmativa pro praxi est tenenda. Unde in Confessione delectationis morosæ de copula illicita, etiam est exprimenda persona, quæ fuit animo proposita, V. G. an persona concupita fuerit conjugata &c. delectatio enim desumit malitiam ab objecto.
- ¶. An concupiscentia motus involuntarii, sive quos homo patitur invitus, sint peccata?
- ¶. Neg. Peccatum enim debet esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit.
- ¶. An graviter peccet, qui de peccato mortali, olim patrato, gloriatur?
- ¶. Aff. Si nempe in tali peccato sibi complaceat, vel alios tali ja^ctantiâ ad simile peccatum pertrahere intendat, vel famam personæ tertie graviter lædat.

C A P U T III.

De Luxuria, ejusque speciebus.

LUXURIA est appetitus inordinatus libidinosa, & carnalis voluptatis. Ex genere suo est peccatum mortale; *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, ad Gal. 5.

Species ejus sunt sex: *Fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam.*

Fornicatio est copula illicita soluti cum soluta.
Ad-

Advertite, quod non solum debeant esse soluti
Matrimonio, sed etiam à cognatione, ordine sa-
cro, voto &c. si enim alteruter aliquo horum sit
ligatus, alia gravior species consurgit.

Stuprum est, violatio virginitatis injuriosa.
Raptus, abductio personae renitentis causâ libidinis.
Adulterium, alieni thorii violatio. *Incestus, con-*
gressus cum consanguinea, vel affine usque ad 4. gra-
dum. *Vitium contra naturam, coitus contra natu-*
ram exercitus. *Natura autem exigit, ut possit con-*
cipi proles, adeoque sit conjunctio duorum
diversi sexus, fiat modo, & in vase debito.

Hoc dividitur in *Sodomiam, pollutionem, &*
bestialitatem. *Sodomia est, coitus libidinosus in*
vase à natura ad generationem non ordinato. *Be-*
stialitas est, coitus hominis cum bruto. *Pollutio*
seu mollities est, libidinosa seminis effusio extra
vas naturale.

§. I. De Osculis, & tactibus.

Notandum, osculum fieri posse tripliciter.
 1. In signum amicitiae. 2. Causâ delectatio-
 nis concubitûs. 3. Causâ delectationis osculi,
 secundum se considerati, ut delectabilis carni.
 Contactus etiam partis verendae potest fieri toti-
 dem modis: 1. Causâ medicandi, vel aliâ necel-
 sariâ. 2. Causâ voluptatis concubitûs. 3. Causâ
 voluptatis illius contactûs secundum se spectati.
 1. Osculum causâ amicitiae, secundum consuetu-
 dinem patriæ, per se est licitum, similiter &
 delectatio inde consequens. Patet ex Scriptu-
 ris,

48 TRACTATUS DE PECCATIS.

ris, & usu generis humani. Ratio est, quia hoc nihil aliud est, quam testificari signo externo benevolentiam, & unionem animorum (cujus osculum est symbolum) fundatam in conjunctione sanguinis, vel professionis. *Salutare fratres in osculo sancto.* I ad Thessal. 5. Habenda tamen est ratio decentiae, & cavendum scandalum.

2. Si fiat causâ delectationis concubitus extra matrimonium, sunt peccata mortalia, & spectant ad illius peccati speciem, cuius sunt præambula. Eadem est ratio de aspectibus, alloquiis causâ talis delectationis adhibitis, juxta illud Christi apud Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœcha-
tus est in corde suo.*
3. Difficultas major est, an osculum, quatenus est delectabile carni, absque ulterioris voluptatis intentione, absque omni inordinata corporis commotione, quâ spiritus ad disseminationm componantur, sit peccatum mortale?

3. Alii affirmant, ut Cajetanus 2. 2. q. 154. ar. 4. Sanchez lib. 9. de Mat. disp. 46. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 8. n. 59. aliique viri docti. Ratio illorum est, quia oscula, prout delectabilia secundum sensum tactus, sunt naturaliter ordinata ad copulam carnalem, imò sunt signa ejus, sive instantis, sive præteritæ &c.

Alii negant, & plurimi. Ratio eorum est, quod, licet illa oscula ordinentur ad naturalem copulam, tamen valde remotè, sicut valde

86-

remotè litigium ordinatur ad actum homicidii, &c. Pro praxi tamen ob annexum, in retam lubrica, consensūs periculum, inter leviora peccata simile osculum non est numerandum.

Nec est paritas inter litigium, & osculum, quia actus homicidii, ad quem disponit litigium, non allicit corruptam naturam &c.

Nunc agendum de tactibus.

1. Tactus non omnino turpes, & impudici, sed honesti in aliqua parte honesta corporis ex vanitate, joco, vel alia simili causa facti, non videntur nisi venialia. Suppone non adesse scandalum, nec ullum consensūs periculum in delectationem venetam. Quia hujusmodi tactus non sunt mali secundūm se, sed ex sua causa, causa autem joci &c, non est adeò turpis, ut queat in mortale reputari.

2. Contactus partium verendarum, si fiat causā medicandi, vel aliā, quæ censetur necessaria, aut justa, nullum est peccatum: talis enim contactus rectæ rationi est consentaneus.

Nota tamen, mulieres, præsertim virgines, non teneri ejusmodi genus medicandi in locis secretioribus admittere: quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo, vel morte; at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quam à viris contingi. Ita Navarrus cap. si cui. num. 13.

Quares, quid sit resolvendum de tactibus inter conjugatos, & sponsos?

50 TRACTATUS DE PECCATIS.

¶. 1. Si inter eos exerceantur, ut necessarii ad naturam excitandam debiti reddendi gratiâ, ac prolis generandæ, nullum peccatum continent.

¶. 2. Si tactus illi fiant sine ordine ad copulam, sed in illis sistatur, tunc vel fiunt cum periculo pollutionis in utroque, vel in altero coniuge, & sic constat esse mortalia. Idem iudica de delectationibus viduæ de copula præterita, virginis sponsæ de futura.

Contactus autem conjugum solius voluptatis causâ exerciti absente morali periculo, non videntur esse, nisi venialia; quia in non conjugatis sunt mortifera, eò quod concubitus, ad quem naturâ suâ ordinant, in his est peccatum mortale; contrà ergo sicut concubitus conjugum solius voluptatis causâ non est peccatum mortale, ita neque impudici hujusmodi contactus.

Quod attinet ad sponsos, his non magis sunt liciti amplexus, tactus impudici, quam quibuscumque liberis.

§ 2. De aspectu, cantilenis, & ornatu.

¶. A Spicere personam alterius sexûs in parte honesta, delectando de ejus pulchritudine, non est peccatum, aliquando nec veniale. Poteſt tamen esse ratione periculi, maximè si sit diutinus, V. G. circa fœminam pulchram; nam aspectus facit, ut phantasia apprehendat rem illam, non solum ut delectabilem visui, sed

CAPUT III.

§ 1

sed etiam ut delectabilem tactui, & carni, ex qua imaginatione sequitur in affectu complacentia, in spiritibus commotio, in membris rebellio. Itaque curiosi aspectus sunt validè vitandi, nam multi ex illis sunt lapsi in gravia peccata. Admiserit se plerumque diabolus, & facit, ut species visa assiduè obversetur phantasiaz, quæ sensim affectum allicit, & naturam commovet. *Nequius oculo quid creatum est?* Eccl. 31. *Quapropter pepigi foedus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Job. 31.

2. Aspicere absque necessitate partes secretiores, vel in se, vel in aliis, grave peccatum censetur, nisi levitas &c. excusat; quia hoc valido honestati naturali adversatur, adeò, ut primi parentes, cum essent conjugii vinculo inter se conjuncti, erubuerint se nudos aspicientes, & propterea fecerunt sibi perizomata, Gen. 3.

A fortiori arguendi sunt abominandi isti aspectus, qui fiunt ex mortificatione, ut dicunt, & de quibus agit S. Anton. i. p. tit. 5. cap. i. §. 3. qui sub specie mortificationis feminam coram se nudari faciebant. *Vah brutale hominum genus!*

3. Aspicere concubitum viri cum fœmina, etiam ex sola curiositate, culpa gravis est; quia hic aspectus excitat ad libidinem, & res venereas.

4. Puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, a quo credit turpiter se aspiciendam, mortaliter peccat peccato scandali, quando datâ operâ se præbet illius conspectui absque

D 2

ulla

32 TRACTATUS DE PECCATIS.

ulla necessitate, sed potius ex quadam vanitate, non ignorans turpem illius amorem.

5. Et generaliter: qui sentit se sàpè lapsum in peccatum mortale ex intuitu hujus, vel istius mulieris, sub culpa gravi à curiosis aspectibus abstinere tenetur. Qui affectu libidinoso, ut dum invicem ad libidinem fixis inflammant aspectibus, fœminā aspicit, graviter delinquit.

Quid censendum de surpiloquio, cantilenis?

1. Loqui turpia, & lasciva, ea scribere &c. cum intentione seipsum, aut alium excitandi ad opus carnale, vel cum animo se oblectandi rebus ipsis turpibus, quæ narrantur, & imaginationi objiciuntur, vel cum periculo alicujus similis delectationis venereæ extra matrimonium, regulariter est peccatum mortale.

Dicitur extra matrimonium, quia si conjuges loquantur inter se de illis operibus, quæ sibi licent, aut de quibusdam aliis, quas absque peccato mortali possunt, non peccabunt mortaliter, modò absit omne periculum pollutio-
nis; caveant tamen coram parvulis de his loqui. Improbans etiam mos quorumdam, qui cum prole, cui rationis incipit prælucere aurora, eodem lecto decumbunt.

2. Qui turpia audiunt, vel cantilenas ex quadam curiositate, ridentque reverà vel ob artificium, seu lepidum dicendi modum, & non ob ipsa turpia, non peccant nisi venialiter, modò per suum risum nulli scandalum generent, neque videantur authoritatem præstare ver-
bis

bis turpibus, aut ea cohonestare, neque velint testari, quod talibus oblectentur.

3. Peccant mortaliter 1. qui cantilenas graviter obscenas componunt. 2. Qui cantant, præcipue coram aliis, cum hoc vix fieri possit sine delectatione, vel consensu periculo. Caveant insuper scandalizare parvulos, quia tunc præter turpiloquium, reperitur peccatum scandali.

Peccant quoque mortaliter pictores, & artifices, qui pingunt, vel fingunt picturas, aut statuas in honestas.

Quid dicendum de lascivo quorumdam ornatus?

4. Peccant mortaliter puellæ lascivè se ornantes, ut faciunt, quæ mediâ ex parte nuda ostentant ubera, aut solùm transparenti obregunt materiâ, quia membra ad libidinem inflammantia aliorum aspectui voluntariè objiciunt. Hinc Tertull. de velandis Virg. *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia, secundum annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres; omnes in te etates periclitantur.*

C O R O L L A R I U M

*De Tripudiis modernis, & forensibus
Conventiculis.*

Naturam tripudiorum optimè delineat, quisquis ea dixerit: *Conventus personarum ueriusque sexus, maximè juniorum, ubi ad sonum cuiusdam instrumenti, vel cantionis per intervalla ade-*

D 3 lescen-

34 TRACTATUS DE PECCATIS.

lescentes cum puellis saltitant, & saltum interpolantes mutuâ conversatione intertenentur, & sese oblectant. Hosce conventus, si rusticani sunt, *Labayen* appellant. S. Augustinus lugendas lâtitias vocat: hæc descriptio cuilibet christiano ingerit chorearum ideam, ut rei periculo plenissimæ, & in sexcenta peccata pertrahere natæ, adeoque omnibus ordinariè sub peccato prohibitæ, & prorsus fugiendæ. Constat ex definitione.

Conveniunt personæ utriusque sexus: hûc facit quidquid de conversatione nimium familiariter personarum imparis sexus aut S. Scriptura docuit, aut PP. tradiderunt, aut experientia testatur. Et quidem *maxime* juniores, in qua natura quodammodo ebullit omnis generis cupiditates, & minus est consilii, ac providentiæ. Adde, quod chorearum sociæ comptæ, & ornatæ, & aliæ lascivo suo ornatu & denudatione castissimos quosque labefactent: aliæ aliquos subvertant; neque enim omnia in omnibus reperiri dixerunt.

Ad sonitum instrumenti, vel cantionis: notum est, quod sicut obscenæ imagines, & libri amatorii animum corruptunt, ita & cantilenæ, & instrumenta tripudiantium aures permulcenda, flammantia tela in audientium immittunt corda,

Adolescentes cum puellis saltitant. Ad plures concupiscentiarum illecebras, quæ ab his conventibus separari nequeunt. Accedit, quod mulierculæ ad numeros saltare doctæ adolescen-

tium

tium animos movere, & in sui amorem saltitatio-
ne soleant illicere: deinde varii corporis motus,
membrorum gesticulationes, accessus ad invi-
cem, manuum contrectatio, & his similia, univer-
sa tam studiosè videntur composita, ut lenoci-
nantium in morem libidinis ignem inflamment.
Ut taceam oscula, tactus, & sexcentas ineptias
&c. neque enim cùm pedes à tripudiando ces-
sant, malum tripudiantium cessare existimam-
dum est, quia

*Saltum interpolantes mutuâ conversatione sese
oblestant.* Multa sunt, & plurima, quæ in ista
conversatione occurunt, & malum, ac pericula
non mediocriter augent. Si choreæ noctu ce-
lebrentur, vel in multam vesperam protrahantur,
quis non videat, quantum tenebræ, & loca
secretiora proritant proutervam libidinem? Mi-
nora dicam: Colloquia miscent (nota præfatas
ætatis, sexûs, &c. circumstantias) invicem assi-
dent, student ineundæ gratiæ, subindè cantillant
ad aurem, condicunt sæpè locum, & tempus se
mutuò revisendi, familiaritatem aucupantur, &
fovent. Hisce non raro pro coronide accedit,
quod adolescens intempestâ sæpè nocte ad ædes
maternas reducat filiam. Credisne hic malorum
finem?

An igitur omnia tripudia & choreæ illicitæ?

Nequaquam: hoc enim aliquando honestum
& laudabile est. Ut autem chorea licetè fiat, re-
quiritur i. Ut fiat chorus inter personas com-
petentes, cùm religiosi, & viri Ecclesiastici ob-

56 TRACTATUS DE PECCATIS.

scandalum jure communi ab hoc prohibeantur.
2. Ut omnis gesticulatio evitetur libidinosa.
3. Ut sit intentio solius recreationis honestæ.
4. Ne, qui se fragilem sentit, iis se immisceat.
Rogo modò animos non præoccupatos, an promiscuè tales conditiones adsint? Quàm sæpè similes conventiones non sunt mutuæ libidinis fornaces, & luxuriæ scholæ, in quibus & ipsa præsideret, prodigalitas assidet, gula ancillatur.

De Conventiculis forensibus.

Sunt in multis Belgii, & vicinis pagorum locis alia conventicula juvenum, & puellarum, quos carnalis passio ob rusticalem genium maximè excæcat, quibus ob similia peccara, & peccatorum pericula Illustrissimi Belgii episcopi interdixerunt. Uno loco juvenes tempore hyberno ad fallendum horas vespertinas, ruri potissimum, visitant filias, vel ancillas alicujus domus, ad quam & vicinæ ordinariè accedunt, & hinc nentibus, suentibus, aut quid aliud agentibus assident, confabulantur, cantant. Mille exercentur ineptiæ, scurrilitates effutiuntur, oscula, statâ quidem lege frequentantur. In discessu extinguuntur luminaria, quæ & quanta! Alio loco nunc filiæ juvenes, nunc filiæ ipsi in ædibus propriis quærunt, & ad cauponas, vulgo *ad cereviam* abducunt, & post multas horas in potu, & peccatis consumptas, serâ nocte domum reducunt. Horrendum, quanta in ejusmodi conventiculis flagitia committi & pastores fide dignis-

dignissimi testantur, & nos, qui aliquando vidi-
mus, acerbissimè dolemus!

C A S U S I.

*Quid agendum cum pœnitente, qui diceret sim-
pliciter, habui in honestas cogitationes?*

R^g. Petendum 1. An fuerit in causa, quod illas
turpes cogitationes habuerit, vel quia nimis
liberè conversatur cum personis alterius sexūs,
vel se immiscet sodalium consortio historias ob-
scenæ narrantium, vel eas in libro lecitat?
2. Quod si ita: quoties habuerit? 3. An neglexe-
rit illas expellere? 4. An iis morosè non fuerit
delectatus? Si ita: 5. An non consenserit in opus
externum? 6. Quale fuerit subjectum, in cuius
amplexū consensit? An fuerit persona conjugata,
an sacra? 7. An ex illa delectatione non processerit
ad turpes sui, vel alterius tactus? Si pœnitens sic
ignotus, inquire statum, an sit conjugatus &c.

C A S U S II.

*Pœnitens aliquis deprehenditur similia frequen-
tare consortia, ubi à Confessario proponuntur peri-
cula; afferit se in ejusmodi occasionibus raro de-
liquisse. Quæritur, an Confessarius prudenter per-
mittat, ut perget iis interesse?*

R^g. Neutiquam: 1. Quia alios ad easdem oc-
ciones, in quibus forsan peccabunt, allicit; vel,
ut in eadem permaneant, confirmat. 2. Quia
pœnitens fortè aliis est occasio, vel objectum
peccati. 3. Quia, quamvis gratiâ Dei hactenus
steterit, ubi alii ceciderunt, timere meritò potest,
ne & ipse tandem corruat.

Petrus visitat Annam causâ matrimonii, quod meditatur contrahere, quam visitationem & Anna eo animo admittit; an & hac visitatio corollario meo involvenda?

R. Neutquam: Sicut enim Medicus urgente necessitate, vel majoris boni utilitate invitante, seu ratione officii, castitatis terminos non censetur excedere, dum secretiora medetur corporis membra, quæ in certis circumstantiis necessaria sunt; sic justus finis matrimonii etiam præstare poterit, ut talis conversatio sit licita, modò nihil voluntariè admittatur contra castitatem, neque fiat aliquid ultrà necessitatem.

Multi instituunt ejusmodi visitationes personarum imparis sexus, quas & hæ admittunt, quibus animus non est ad matrimonium: has corollario meo, velint, nolint, involvi fateantur, necesse est. Deinde quām multis est animus quidem ad matrimonium, sed libidinosus, ne dicam brutalis. Hisce timendum maximè, ne visitationibus ejusmodi non satis castè intersint.

Qui se geret, qui conubii causâ quamdam filiam visitat? Item quomodo filia, quæ eo animo visitationem admittit?

R. 1. Animum advertant sedulò, quòd nemo possit esse continens, nisi Deus dederit, adeoque pro continentiae dono adeundus sit Deus, & indefessè rogandus. 2. Ut visitationes, quoad fieri possit, breves sint, & raræ. 3. Ut visitationes illæ instituantur coram parentibus filiæ, & palam, non

non in solitudine, non in tenebris. 4. Suis utrimque parentibus mox significant animum suum, optentque per illos, quoad fieri potest, res ista potius agatur. Post hæc, ut eâ, quâ fas est indagine, in hoc collocatâ, connubium quâm citissimè maturent. Et denique altè pectori insculpant, quod nulla matrimonii intentio, ne ipsa quidem sponsalia inter futuros conjuges, quascumque tum facti, tum verbi impudicitias, aut libidinosæ voluntatis motiones excusare valeant.

C A S U S IV.

Caupo choreizantibus, ad cerevisiam ducentibus &c. aedes suas, aut certum in iis locum concedit, admonetur à Confessario, quod alienorum peccatorum siat particeps, animo statuit omnes ad se venientes recipere, singulis & vinum, & cerevisiam promere, allegans, quod familiam suam his, aliisve modis alere debeat. Queritur, an Confessarius licet dicitur cauponi impertiatur absolutionis beneficium?

R. Nequaquam: Paratus enim est cooperari alienis peccatis. Si enim S. Car. Borom. voluerit non absolviri illum, qui servaret domum suam paratam iis, qui illam frequentare solent gratiâ ludendi aleis, chartis &c. multò minus ille absolvendus erit, qui suam choreizantibus pararam servat, vel actu in domum recipit.

§. 3. *De Fornicatione.*

Fornicatio simplex, quæ est concubitus soluti cum soluta, peccatum mortale est. Aliter docuerunt Nicolaitæ, quidam Rabbini, Anabapti-
sta

60 TRACTATUS DE PECCATIS.

stæ &c. quæ, qui faciunt, digni sunt morte. Ad Rom. 1. Neque fornicarii, neque idolis servientes &c. regnum Dei possidebunt. 1 Cor. 6.

Fornicatio etiam jure naturæ est interdicta, quia dicit inordinationem gravem, cùm sit omissione debiti ordinis, quæ jure, & instituto naturæ est necessaria in illo actu ad prolis complementum.

1. An concubinatus sit simplex fornicatio?

Notandum, quòd in fornicatione sint aliqui gradus; vel enim committitur cum femina determinata, quam quis velut ex consuetudine cognoscit, sive illam domi habeat, sive non, & vocatur concubinatus: vel committitur cum meretricibus palam expositis, & est meretricium: vel cum aliis non expositis, & retinet nomen simplicis fornicationis.

2. Simplex concubinatus non differt specie à simplici fornicatione, licet addat actui circumstantiam aggravantem, & necessariò exprimendam, quia alia est conditio hominis ex infirmitate cadentis, alia ex destinata malitia.

2. An primâ vice concubinarius sit absolvendus, etiamsi concubinam non abjiciat?

3. Ordinariè primâ vice absolvendus non est, quia domi retinere concubinam, est amare occasionem proximam peccati. Verumtamen cùm pœnitens numquam promiserit emanationem à tali delicto, nec propositum freget, conjectura certa sumi non potest semper, præsens propositum dimittendi esse fictitium, modè setiò promittat se quām primū dimis-

missurum; quia qui numquam emendationem est pollicitus, argui solum potest de continuacione sui peccati, non tamen de fracta fide; ergo si serio proponat, & nihil obstat, correptum absolvat, adhibitâ cautelâ, ut, si reincidat, & non dimittat, revertatur. Aliter judicandum si bis, vel ter fidem fregerit.

C A S U S V.

Quid faciendū, dum pœnitens dicit: sum fornicatus?

R. 1. Inquirenda est personæ confitentis qualitas, & complicis, an peccaverit cum virgine? An cum persona conjugata? &c. 2. An per vim, fraudem, & dolum virginem deceperit? 3. An non sit gravida? Si respondeat quod non, interrogandum, unde hoc sciat? An forte non impeditiverit conceptionem? Quod ordinariè variis fit modis. 4. An sèpiùs cum illa persona hoc peccatum commiserit? Et ita ex modo confitendi colliget confessarius, an consuetudiniorum sic adscribendus catalogo, an relabentium, an ex fragilitate peccaverit, an ex malitia.

Regulæ dignoscendi peccata fragilitatis.

1. Si gravi illectus tentatione, vel improvisa occasione circumventus peccato succubuerit.
2. Si media ad peccatum istud, in quod antea lapsus est, fugiendum, vel à confessario prescripta, vel aliude sibi nota adhibere studuerit.
3. Si cum renitentia, & lucta adversus tentationem cadat.
4. Ut de peccato commisso non diu post doleat.

CA-

CASUS VI.

*Famulus habitans cum ancilla, filius-familias
cum consanguinea in eadem domo sœpius peccant,
Et sine gravi incommodo separari non possunt, quid
remedii ipsis prescribendum?*

- R. 1. Ut eliciant efficax propositum numquam
conversandi simul in tenebris, aut locis secretis.
2. Ne invicem fixis aspiciant oculis, aut manus
premant. 3. Illis injungat aliquam orationem
lam, quæ singulis diebus renoveret propositum.
4. Suadeat, ut sibi imponant aliquam pœnam
toties, quoties reincident. 5. Eos hortetur, ut
frequenter confiteantur, & communicent. 6. As-
signet certum tempus, quo ad ipsum revertantur,
nova accepturi remedia contra relapsum.

CASUS VII.

*Quid faciendum cum publica meretrice, quæ
indifferenter omnes ad se accedentes admiserit?*

- R. Ab ipsa petendum 1. Quas peccatorum
species commiserit, an non contra naturam per-
mittendo, quod alii eam in prepostero cognosce-
rent. 2. An se, vel alios extra copulam non pol-
luerit. 3. An habuerit rem cum conjugatis, cum
voto castitatis Deo adstrictis &c. & quoties: si
autem ob diuturnitatem, vel frequentiam præ-
cisè numerum exprimere non posset, neque
veri-similem; tunc debet exprimere consuetu-
dinem, & tempus illius, & quoties bene in men-
se, in septimana, vel saltem in die, & tunc saltem
aliquo modo confessarius conjecturare potest
numerum. Si autem nec hoc sciret exprimere,
tunc

tunc peti debet locus, in quo se exposuit: An in magna, & populosâ civitate &c. 4. An indifferenter omnes admiserit, sive fuerint conjugati, sive voto castitatis adstricti &c. 5. An esset in illa domo, in qua publicè meretrices, vel occultè, in illum finem, ut per usuram corporis lucrum acquirant, aluntur? Si dicat quod ita, nullo modo est absolvenda, nisi domum prius reliquerit, quia castitas vel maximè ibi periclitatur. 6. An juvenes, innocentes &c. ad peccatum non pellexerit?

C A S U S VIII.

Quid faciendum cum illo, qui dicit: vixi in concubinatu?

1. Petendum, num sit conjugatus, vel in sacris Ordinibus constitutus, an verò planè sit liber, etiam à voto simplici castitatis? Item an ipsius concubina sit libera, an consanguinea? &c. Quia tunc est circumstantia mutans speciem. 2. Quanto tempore vixerit in concubinatu, & quænam peccata cum illa commiserit, quoties in septima na eam cognoverit &c. an non commiserit alias fœditates &c. 3. An non dederit ipsi potum sterilitatis, vel alio modo impediverit, ne prolem ex ea conciperet, & an prolem animatam per medicamenta directè non expulerit &c. 4. An concubina habitet in ipsius domo, vel non: si in eadem domo secum habitet, ordinariè non absolvendus, antequam eam ejiciat cum proposito non admittendi.

Quid si dicat, quod non possit eam ejicere, nisi magno cum scando aliorum, vel sui gravi incommodo?

¶. Quod

¶. Quòd grave incommodum postponendum
sit saluti animæ suæ. Ordo charitatis postular,
bonum conscientiæ præferendum esse famæ. Cæ-
terum vix, aut raro amitti potest fama ob con-
cubinæ expulsionem : nam vel concubinatum
cognoscunt vicini, & tunc ejiciendo concubi-
nam, nullum famæ detrimentum patietur, sed
potiùs bonam famam acquireret : vel concubina-
tum ignorant, & tunc quamvis ejiciatur con-
cubina, nulla sequetur infamia magis, quàm
si ejiciat aliam feminam.

*Quid si incurrat concubinarius jacturam nota-
bilem bonorum temporalium?*

¶. Si maneat morale relabendi periculum
per cohabitationem, nec illud periculum tolli
possit, amittendum potiùs temporale, ut salutis
animæ suæ possit consulere.

§. 4. *De Stupro.*

STUPRUM dupliciter accipi potest: 1. Genera-
liter, & impropiè, & sic significat illicium
congressum. 2. Accipitur strictè, & definiri so-
let: *Illicita Virginis defloratio sub cura parentis
existentis.*

1. An stuprum distinguatur specie à simplici
fornicatione? Notandum, certum esse, quòd
sit circumstantia in confessione exprimenda,
si quis virginem primus violaverit.

¶. Cum communi, & probabiliori sententia,
stuprum, etiam sine raptu, & violentia, esse
specie distinctum à simplici fornicatione.

Prob,

Prob. Per stuprum puellæ amittunt eam corporis integritatem, quæ tamquam naturale donum illis erat data, ut vel usque ad matrimonium eam conservarent, vel usque ad mortem, & cuius amittendæ metu virgines naturaliter absterrunt à fornicatione: quapropter hanc integritatem semel amissam, tum à legitimo, & utili matrimonio impediuntur per se loquendo, tum in periculo, & via meretricandi constituuntur. Quæ omnia simul sumpta important deformitatem, quam non continet simplex fornicatio.

Nec refert, quod parentes & virgo consenserint, quia tam stuprator, quam puella peccant contra naturalem rerum ordinem, secundum quem illa corporis integritas, quæ est in virginie, debet inviolata servari, saltem usque ad matrimonium. Ad quid teneatur stuprator virginis, vide infra tractatu de restitutione.

§. 5. *De Adulterio.*

ADULTERIUM est, *alieni thorii violatio*: unde requiritur, ut uterque, vel alter sit junctus Matrimonio; nam circumstantia matrimonii in viro, vel in fœmina facit, ut actus luxuriae dicatur adulterium, ideoque præter deformitatem fornicationi communem, quæ in eo consistit, quod aliquis commisceatur mulieri non sibi juncta per matrimonium, reperitur hinc & altera consistens in hoc, quod commisceatur ei personæ, quæ est alteri juncta matrimonio.

Adulterium tribus modis potest committi.

E

1. Ex

1. Ex parte viri tantum. 2. Ex parte feminæ tantum. 3. Ex parte utriusque.

Si primo modo fiat, ut si conjugatus solutæ copuletur, erit quidem grave peccatum mortale, minus tamen, quam si conjugata soluto. Ratio est, quia longè magis repugnat juri naturæ, ut una femina jungatur duobus viris, quam ut unus vir duabus feminis. Unde etiamsi hoc fuerit aliquando concessum, ut Patribus veteris testamenti, qui habebant plures uxores, illud tamen numquam, quia magis repugnat, quod mulier plures habeat viros. 1. Quia una mulier pluribus viris satisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, quæ est finis istius conjunctionis. 2. Quia etsi interdum fortè generatio non impediatur, tamen erit contra certitudinem proli, nam incertum erit, utri sit assignanda proles, marito, an adultero, quod est contra bonam proli educationem, quæ maximè paternâ curâ indiget. 3. Quia fit specialis injuria marito, dum ei aliena proles supponitur, aut constituit se in periculo id faciendi. 4. Fit injuria proli legitimæ, adducto à matre in petitionem hæreditatis extraneo. Hæc incommoda non sequuntur ex adulterio viri cum soluta. Gravissimum autem erit, si tertio modo fiat, utroque conjugii vinculis adstricto. Tunc enim in illo actu est duplex injuria moralis, nam duorum matrimoniorum jura violantur, & duabus conjugibus injuria irrogatur. Unde eo casu circumstantia illa in Confessione explicanda est, quia licet sit eadem species peccati, non est tamen idem

idem numerus malitiarum. Collige, gravitatem adulterii consistere in eo, quod, praeter libidinis turpitudinem, habeat enormem in proximum injuriam, imo in Sacramentum matrimonii, & in fidem, civilēmque societatem. Ad quid teneatur adulter sequutā prole, vide infrā de restitutione.

§. 6. *De incœstu.*

Incœstus est, *Congressus cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, in quibus non potest celebrari matrimonium.* Tales sunt omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis ex matrimonio contracti usque ad quartum gradum; ex fornicatione autem usque ad secundum. Unde qui copulam habet cum persona descendente ab eodem stipite, à quo ipse descendit, usque ad quartum gradum, committit incœstum propter consanguinitatem; si vero rem quis habet cum consanguineis uxoris suæ usque ad quartum gradum, incœstum etiam committit, propter affinitatem ex matrimonio consummato ortam: similiter si quis copulam illicitam habet cum Berta, contrahit affinitatem cum consanguineis Berte usque ad 2. gradum, & committit incœstum, quia ex copula illicita inducitur affinitas impediens, & dirimens matrimonium usque ad secundum gradum. Constat ex Trid. Sess. 24. c. 4.

1. An gradus cognationis legalis, quæ nascitur ex adoptione, & cognationis spiritualis, quæ ex Baptismo, & Confirmatione, propriè ad hoc vitium pertineant?

68 TRACTATUS DE PECCATIS.

¶. Propriè loquendo non : quia sunt vincula
magis spiritualia , nec faciunt conjunctionem
carnis , & sanguinis , sicut consanguinitas ,
& affinitas. Negari tamen non potest , quin
violatio talis cognationis per actum luxuriaz
habeat specialem deformitatem , cùm illa
cognatio constituat impedimentum dirimens:
undè talis actus poterit etiam dici incestus ,
extenso vocabulo , quia sit cum persona , cui
ratione istius conjunctionis specialis debeba-
tur reverentia in ista materia : nec est aliud
nomen , quod ei melius conveniat , si cognatio
sit ex adoptione : si verò sit ex Sacramento ,
rectius refertur ad Sacrilegium.

2. In quo consistit gravitas , & malitia hujus pec-
cati ?

¶. In eo , quia importat aliquid specialiter re-
pugnans commixtione veneræ propter tres
rationes.

1. Quia est contra reverentiam , & honorem
debitum in hoc genere actuum , consanguini-
tati , vel affinitati.

2. Quia personas sanguine conjunctas necesse
est simul conversari , unde si tales homines
non arcerentur à commixtione veneræ , ani-
mi valdè emollescerent per luxuriam.

3. Quia per hoc impediretur multiplicatio ami-
corum : dum enim homo uxorem extraneam
accipit , junguntur simul quâdam speciali ami-
citiâ omnes consanguinei uxoris , ac si forent
consanguinei sui.

3. Suffi-

3. Sufficit in Confessione dicere: *comisi incestum?*
- ¶. Neg. Sed oportet exprimere gradum consanguinitatis; quod enim gradus propinquior est stipiti, et enormius est peccatum.

C A S U S I X.

Quid faciendum cum pœnitente, qui dicit: comisi incestum?

- ¶. 1. Inquirendum est, an peccaverit cum affinibus, an cum consanguineis? Licet enim probabilis sit sententia D. Thomæ 2. 2. q. 15. incestum cum consanguineis non differre ab incestu cum affinibus, cum in his eadem specifica dissimilitudine reperiatur, tamen notabiliter gravius est peccatum incestus cum consanguineis carnalibus, quam cum affinibus. Si dicat, se peccasse cum consanguinea carnali,
2. Petendum, in quo gradu sit ipsi conjuncta propter rationem 3. petitione allatam.

Sed quid si gradum consanguinitatis non possit exprimere, nisi Confessarius deveniat in cognitionem complicis? V. G. Si frater sororem, filius matrem cognoverit?

- ¶. Pœnitentem debere in illo casu alium Confessarium, qui ipsum, vel complicem non novit, si fieri possit commodè, accedere, quia tunc sine necessitate complicem infamaret. Hinc si casus contingat in aliquo pago, in quo est tantum unus Pastor, tenetur pœnitens ire ad Parochium alterius pagi, licet quinque horis distaret. Si autem commodè propter

E 3 mor-

70 TRACTATUS DE PECCATIS.

mortem verisimiliter instantem alium Confessarium adire non posset, teneretur peccatum exprimere cum manifestatione complicis. Ita tenet verior, & communior sententia, quam passim omnes DD. in Scholis Lovaniensibus docuerunt, & etiamnum docent.

Ratio à priori est voluntas Christi sic instituentis hoc Sacramentum pœnitentia. A posteriori est, quia eo ipso, quo quis peccat, cedit juri, quod habet ad famam. De hoc alibi. Insuper quærendum, an incœstuosus sit conjugatus, ut supra de peccatis carnalibus dixi.

Notet benè Confessarius, quod ille, qui cum aliqua sponsalia contraxit, & postea cognosceret Sororem, Matrem, vel filiam suæ sponsæ de futuro, verum committeret incœstum, quia talis copula prohibita est per Ecclesiam propter reverentiam conjunctionis debitam, propter quam inter ipsum, & illas constituit Ecclesia impedimentum dirimens matrimonium, scilicet honestatis, seu justitiae publicæ honestatis; & talis pœnitens postea nec cum sponsa, cum qua jam affinitatem contraxit in primo gradu per copulam cum ejus sorore, nec cum sorore sponsæ posset contrahere sine dispensatione.

§. 6. *De Raptu.*

Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendam.

Nota.

Nota, quod tria requirantur ad raptum. 1. Vis illata. 2. Abductio. 3. Ut fiat causâ concubitus.

Dicitur quo *Persona aliqua*, non necessariò femina, non virgo, quia sive sit masculus, sive femina &c. si violentè abducantur, verus erit raptus tantò gravior, quantò ad gravius peccatum exercendum committitur. In definitione dicitur: *Ad actum turpem*; si enim abducatur ad alium finem, V. G. redigendi in servitutem, dicitur plagium, & erit furtum hominis.

1. An sit raptus, si sponsus, eam, quæ sibi sponsata est per verba de futuro, volentem abducat, reclamantibus Parentibus?

2. Non esse raptum, si abducatur ad matrimonium juxta præscriptum Ecclesiæ perficendum. Ita in Capitulo: *cum causa. tit. de raptoribus declaratum est: Raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

2. Quæ sunt pœnæ raptoris?

3. Inter cæteras à Concilio Trid. statuuntur tres: 1. Ut raptor, & omnes consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces. 2. Ut raptor, sive matrimonium contrahat, sive non, teneatur ad decenter dotandum raptam arbitrio judicis. 3. Inter raptorem & raptam declarat Trid. matrimonium nullum, quam diu raptamanet in potestate raptoris.

3. Quid si rapta non solum consentiat liberè in matrimonium, verum etiam nolit ponit in alio loco tuto, & omnino extra potestatem raptoris, an tunc saltem possit validè contrahere cum raptore?

¶. Probabilius neg. Quia hæc conditio, ut sit extra potestatem raptoris, essentialiter requirit à Con. Trid. quæ non deficit in casu particulari.

§. 7. *De Peccato contra naturam.*

PEccatum strictè contra naturam dicitur illud, quod est contrà ordinem, quem natura etiam in ceteris animalibus requirit, quia scilicet ordo, à natura requisitus in carnali copula, deficit. Cùm ergò hic ordo ita pervertitur, ut conceptio fieri nequeat, dicitur propriè peccatum contra naturam.

Natura autem actus venerei, ut ex eo possit fieri conceptio proliis ejusdem speciei, postulat quinque: 1. Conjunctionem duorum. 2. Eamdem naturam in utroque. 3. Sexum diversum. 4. Instrumenta naturalia utriusque sexus ad generationem ordinata. 5. Debitum modum. Hinc sit, ut quinque modis possit esse peccatum contra naturam in materia luxuriæ.

1. Si queratur voluptas carnalis per sui corruptionem absque conjunctione; hoc vocatur mollities, vel pollutio.

2. Si queratur in conjunctione cum re alterius naturæ V. G. cum bruto, & vocatur bestialitas.

3. Si

3. Si in eoden sexu, ut si mas cum mare, femina cum femina, & vocatur Sodomia.

4. Si in diverso sexu ejusdem speciei, sed non in congruo vase, vel instrumento naturali.

5. Si conjunctio quo ad sexum, & instrumenta sit naturalis, sed inordinatio sit in modo, ut si virum mulier supergrediatur, sine periculo effusionis seminis; si vir cognoscat uxorem modis insolitis &c. Hi reductivè pertinent ad quartam speciem.

Notate, quod ad speciem bestialitatis pertinet concubitus cum dæmone, quando in assumpto corpore sit incubus, vel succubus, sive assumat corpus bestiæ, sive viri, sive mulieris: tamen alio respectu hic concubitus differt à bestialitate specie, ratione superstitionis illius, ad quam spectat societas cum dæmone.

C A S U S X.

Quid agendum cum illo, qui dicit: habui pollutionem?

R. 1. Est inquirendus numerus, & qualitas personæ? An simul cum desiderio pollutionis non habuerit desiderium copulæ, vel attractus impudici, & cuius feminæ an conjugatæ, an consanguineæ &c. 2. Si deprehendarur pœnitens laborare consuetudine iterandi hoc peccatum, cum eo procedendum, ut infra de consuetudinariis docebitur.

Si pœnitens dicat, se passum fuisse pollutiones de nocte, inquirendum est modo supra dicto, an non fuerint voluntariae in causa; si dicat, quod

74 TRACTATUS DE PECCATIS.

non, petendum est, an manè, quando evigilaverit, vel in ipso seminis fluxu, si ex violentia vigilet, se voluntariè non delectârit, si dicat, se dubitare, inspice regulas, datas fol. 42. & judicare poteris, an peccaverit.

§. 8. De Abortu.

PEccata carnalia sàpè sequitur abortus, quem procurant vel fornicarii, vel parentes &c. metuentes magis infamiam mundi, quàm offenditionem Dei, ac propterea hæc materia cæteris paragraphis adjungenda.

Abortus itaque est, *ejectio fætus immaturi*. Potest autem fætus immaturè ejici, vel ante animationem, vel post; & quidem si sit fætus animatus, convenienter, numquàm licere directè procurare ejus abortum, cùm id sit directè vitam innocentis auferre.

1. Estne licitum ad conservationem matris præbere medicinam directè causativam abortus nondum animati?
2. Id numquàm licere, sive ante, sive post fætus animationem.

Probatur: illicitum est pollutionem procurare directè; ergò & abortum. Prob. conseq. Ideò illicitum est directè procurare pollutionem, etiam ad sanitatem recuperandam, quia effusio seminis est contra finem generationis, ad quam illud est per se à natura ordinatum; atqui immediatus, & proximus ad generationem finis est ordinatus fætus; ergo si non licet illam,

illam, nequè hunc licebit propter sanitatem recuperandam. Deindè opposita sententia portam aperit stupris, spe per abortum illa occultandi, quem sexcentis modis lascivorum juvēnum, perditarumque mulierum excogitat audacia, vel libido.

2. An liceat prægnanti cum periculo proli animatæ dare pharmaca, quæ directè, & per se tendunt ad sanitatem causandam, & quæ sunt necessaria ad conservationem vitæ matris cum periculo abortūs?

¶. Probabilius aff. Quia actiones humanæ speciem sumunt ex intentione operantis, non autem ex effectu per accidens, & non pro certo subsecuto, sed principalis intentio in his medicamentis fertur in sanitatem matri, abortus autem per accidens, & præter intentionem accidit.

Deindè invadente ferâ, matrem fugientem cum fœtūs periculo nemo damnaret.

3. An liceat uti medicamento tam mortifero ex se proli, quām sanativo matri?

¶. Hoc non videri licitum: quia numquām licet directè agere ad occisionem innocentis; præbere autem medicamentum ex se mortiferum proli, est directè agere ad occisionem proli.

Aliud foret, si medicamentum foret dubium, an auxilium, an mortem potius sic allaturum.

4. Quid si adsit spes probabilis fœtūs in lucem

pro-

- prodeundi, an tenetur mater ab illis medicamentis abstinere?
- ¶. Aff. Et mater peccabit mortaliter medicamenta similia sumendo: quia præceptum charitatis matrem obligat ad præferendam vitæ suæ corporali vitam spiritualem prolis maximè indigentis, & non baptizatæ.
- §. An liceat impedire conceptionem ad infamiam vitandam puellæ V. G. nobilis?
- ¶. Id nullo modo est licitum. 1. Quia est contra ordinem naturæ; nam semen, & copula sunt instituta à natura ad prolis generationem, & proinde ad conceptionem fœtus. 2. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 3. Sibi imputet femina, quæ sponte sua peccavit, vel peccati socius.
6. Quæ sunt pœnæ procurantium abortum?
- ¶. Qui procurat abortum fœtus animati, effectu scilicet secuto, incurrit excommunicationem latæ sententiæ à Sixto V. decretam, & fit irregularis. Similiter illi, qui operam, consilium, aut favorem sive scribendo &c. consulerunt: ab hac excommunicatione nemo Confessarius potest absolvere, nisi specialiter deputatus.

C A S U S XI.

Quid faciendum Confessario cum illâ feminâ, vel juvene, qui diceret: procuravi abortum?

Petendum, an procuraverit abortum fœtu animato, vel non. Si animato; judicandum est illum verum commisisse homicidium, & tanto gravius peccâsse, quanto certius non solum corpus, sed

sed & animam ejus occidit, undē incurrit irregulatatem. Quando autem fœtus animetur, non scitur certò: Fromondus de anima lib. 2. c. 6. cum Hypocrate putat, masculum triginta diebus longissimè, tardissimè quadraginta diebus à conceptione formari, sed non est certum.

Si autem fœtu non animato procuraverit directè abortum, insinuanda gravitas istius peccati, ob quod mulieres &c. in Concilio Ancyrano cap. 21. usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removebantur. Inculcanda fortiter S. Augustini sententia: *Mulier autem quacumque fecerit hoc, (quocumque prætextu, sive conservandæ famæ ergo, sive mortis evitandæ) quod jam non possit concipere, quotiescumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.* Serm. 244. de temp.

CASUS XII.

*Quid agendum cum illo, qui dicit: commis-
catum sodomiticum?*

R. Quærendum 1. Quoties nefandum illud crimen commiserit? 2. An cum masculo, an cum feminâ præpostoram libidinem exercuet? Majus enim peccatum est masculi cum masculo, quia diversus non intercedit sexus. 3. An sit persona conjugata, cum tunc præter malitiam contra castitatem, etiam contrahat malitiam contra justitiam. Vel an sit voto castitatis obstricta, vel affinis, aut cognata intra primum, aut saltem secundum gradum propter majorem disformatatem, quæ reperitur in isto actu venereo? 4. An non

vio-

78 TRACTATUS DE PECCATIS.

violenter oppresserit similes? &c. §. An in peccato illo fuerit agens, vel patiens, quia in agente intervenit pollutio propria, quæ non intervenit ex parte patientis.

Deinde ipsis ob oculos ponendum est, quām gravi odio in istud nefandum scelus feratur Deus, qui ob istud Sodomam & Gomorrah delavit in cineres. Proponenda pœna, quam statuit Pius V. in extravagante, ubi ita statuit: *Orantes quoscumque Presbyteros, & alios Laicos, tam regulares, quam seculares, cujuscumque gradus, aut dignitatis, tam dirum nefas (Sodomiæ) exercentes, omni privilegio clericali, omni beneficio, & officio ecclesiastico, & dignitate presentis canonis auctoritate privamus, utque per judicem ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur.* Deinde jure civili pœna capitis imponitur. Jure canonico laici excommunicantur, & ex cœtu fidelium separantur, usque ad condignam pœnitentiam.

Quo ad illos qui commiserunt peccatum bestialitatis, solum inquirendum est, qualis fuerit persona, & quoties illud peccatum commiserit, ob jam dicta: non debet explicare qualis fuerit bestia, an equus, an vacca, an cum masculo, vel femella peccaverit, an in vase recipiendo semini à natura ordinato, vel non, (nisi interveniat notabilis disformitas, quam cognoscere non potest Confessarius) quia illa non variantur specie, nec malitiam notabiliter aggravant, nisi ex coitum natum sit prodire monstra, & bestialitas Sodomiæ misceatur.

CA-

CAPUT IV.

De Ebrietatis peccato.

Ebrietas, ex qua sèpè pullulat libido, est excessus in potu usque ad violentam usus rationis privationem. Ebrietas ex genere suo est peccatum mortale: Manifesta sunt opera carnis &c. homicidia, ebrietates, commissiones, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, ad Gal. 5. Ebrietas enim tollit bonum rationis, & naturale, & morale, quatenus privat usu rationis.

- Ebrietas dupliciter potest esse voluntaria.
1. Expressè, quando quis intendit directè ebrietatem.
 2. Indirectè, quando quis expressè non vult inebriari, sed tantum bibit, quantum lubet, & potest, non sollicitus, nec curans, an sequatur ebrietas, vel non. Item si quis advertat, se inebriandum, nec tamen defistit.
 3. An mala commissa in ebrietate imputentur ebrio ad culpam? V. G. Si percutiat, occidat, blasphemet?
 4. Aff. Si ebrietas sit voluntaria, si mala prævideri potuerint, & debuerint, sunt voluntaria in causa.
 2. An provocare socios ad æquales haustus, stante ebrietatis periculo, sit peccatum mortale?
 5. Aff. Si enim inebriare seipsum est peccatum mortale, ita similiter alium ad hoc inducere. Accipe pulchram ex S. Aug. serm. 231. ebrietum hujus corrupti sæculi descriptionem:

Ma-

Majora pocula providentur, certâ bibendi legi contenditur, qui poterit vincere, laudem mere- tur ex crimen.

3. Quando aliquis censendus est ebrius?

32. Variant Authores. Refertur, quosdam docere, eum non esse ebrium, qui ita sibi præsens esset, ut currum advenientem niteretur evitare, etsi præ crapula non posset. Alii dicunt eum non esse ebrium, qui pedibus vacillans, oculis duplicitia cernens, cui omnia gyrari videntur, imò si usque ad vomitum sese ingurgitat, si tamen sciat postridie, quid fecerit. Utraque sententia rejicitur ut exotica. Generali regula illud definire difficile quidem est, sed tamen hoc pro certo habe, quod si quis ita præ crapula sit constitutus, ut censeatur usus rationis destitutus, etsi non prototo, tamen censeri posset ebrius. Hinc varii dantur in ebrietate gradus, prout quis magis, vel minus usus rationis privatur. Aliud signum ebrietatis est, quando quis notabiliter impeditur à solidis muniis peragendis, quæ extra ebrietatis statum facilè potest, vel quando postridiè non meminit quid egerit, quomodo domum diverterit, vel cubitum ierit, cùm tamen aliàs illorum probè meminit. Itē, si fecerit turpia, dixerit absurdā, pugnārit, blasphemārit, qui aliàs solet esse castus, honestus, benignus, & pacificus.

C A S U S XIII.

Quid agendum cum eo, qui dicit: fui ebrius?
Petendum 1. An tantum semel, an sæpius,
& quo-

& quoties? 2. An totaliter ratio fuerit turbata, nec solita potuerit subire munia? Si ita, & voluntariè se inebriaverit, 3. An in sua ebrietate alios non scandalizaverit, & suo malo exemplo alios ad idem peccatum non incitaverit? 4. An non commiserit in ebrietate aliqua peccata, quæ anteà scit, vel saltem facile prævidere potuit, se commissurum? Quia illa, utpote voluntaria in causa, si sint damnificativa alterius, tenetur in conscientia resarcire. Pro praxi

Nota, quòd si aliquis sciat, quando est ebrius, se primum ad juramenta, pugnas, &c. si se iterum inebriet, & illa peccata non committat, ex eo, quòd alii, apud quos est, casu abeant, vel de industria ipsum solum relinquant, tamen illa peccata moraliter ipsi imputentur, cùm sufficiēt eorum causam posuerit, & non sit in ejus potestate tempore ebrietatis impedire effectus, qui ex accidenti non sequuntur.

Si pœnitens dicat, quòd non perfectè fuerit ebrius, petendum, an non exposuerit se periculo perfectæ inebriationis, & an alios simili periculo non exposuerit, vel in causa fuerit, quòd alter perfectè fuerit inebriatus, provocando, & cogendo ad æquales haustus, quibus alium videt inebriandum? Deinde dicendum, quòd non solum perfecta ebrietas, sed & alii excessus notabilis, possint esse mortaliter culpabiles, si quis ob illos officio suo (ad quod graviter tenetur) satisfacere nequeat, vel corporis sanitati notabiliter noceat &c.

APPENDIX MISCELLANEA

DE JEJUNIO.

CAPUT UNICUM.

Quid Jejunium, & quæ ejus obligatio?

THeologi communiter distinguunt quadruplex Jejunium. Nos potissimum hīc agimus de Ecclesiastico, quod est *Abstinentia à cibo secundum modum ab Ecclesia institutum*. Ad hoc jejunium requiritur unica de die refectio, hoc est, quod homo à media nocte, usque ad aliam dumtaxat semel se reficiat. Unde violent præceptum jejunii, qui sine causa rationabili refactionem tanto intervallo dividunt, ut moraliter loquendo non sit unica refectio, sed plures rametsi singulæ non sint omnino plenæ.

1. Quænam parvitas materiæ excusat à mortali in materia jejunii?
2. Theologi hoc non determinant, sed relinquunt arbitrio Viri prudentis. Multi tamen probabiliter asserunt, quantitatem duarum unciarum communis cibi non sufficere ad constituendum peccatum mortale.
3. An in die jejunii parvitas materiæ excusat in esu carnium à mortali?
4. Per se loquendo aff. Neque enim video, cur in hoc Ecclesiæ præcepto non possit dari parvitas materiæ, quemadmodum in aliis præceptis divinis, & ecclesiasticis. Seclude scandalum, & contemptum.

3. In

3. In qua quantitate licitum est sumere collationem vespertinam?
- ¶. Hic non posse statui regulam certam, & generalem pro omnibus; quod enim licitum est sumere Petro, non est licitum paulo. In hac materia standum est consuetudini locorum, & respi cienda persona, an operarius, an femina &c.
4. An jejunium violet, qui debito tempore refectionem sumit, sed nimis laetam &c. ita ut nihil de jejunii difficultate sentiat?
- ¶. Neg. Nisi fiat in fraudem, vel nimis diu mensa protrahatur, quia unica hic tantum est refectio.
5. Quando mensa censetur nimis diu protrahi?
- ¶. Hoc pendere à morali hominum judicio, attentis interpolationibus fabularum, jocorum &c. ita ut à prima ad alias V.G. portiones tempus novum detur concoctioni; sunt enim moraliter plures tunc refectiones. Communiter autem censetur protractio mortifera, si duret ad tres horas, quæ est pars notabilis diei.
- Exceptio tamen est, si propter impedimenta intercurrentia non detur tempus integræ refectioni.
6. An notabiliter præveniens tempus refectio nis, V.G. horâ 10. manducans tempore jejunii, peccet?
- ¶. 1. Neg. Si justa sit causa, V.G. si sit iter arri piendum.
- ¶. 2. Quando sine justa causa hora notabiliter prævenitur, est certè grande veniale, quia illa præventio tantum spectat ad modum legis.

Ad illud quod dicit S. Thom. in 4. dist. 15.
q. 3. a. 4. *Cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus; qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvis, responderi potest, quod solvat tantum leviter.*

7. *Quinam excusantur à jejunio?*

8. *Omnes excusantur à jejunio, sicut & ab aliis legibus positivis, in quibus est vel titulus necessitatis, vel impotentiae, vel pietatis, seu majoris boni.*

Titulo impotentiae excusantur omnes lecto affixi, debiles, languidi, valetudinem recuperantes, vel qui ex medicorum iudicio periculo infirmitatis se exponerent, si vel certa ciborum specie, V.G. carnis carere, vel refectionis horam exspectare, ut refectionem reperere non possent; sed medici hic coram Deo agant, ne aliis, vel sibi nimis ab blandiantur.

Eodem titulo excusantur mulieres lactantes, & prægnantes, quæ, adolescente jam fætu, non sibi tantum, sed & proli alimentum sumunt.

Item excusantur illi pauperes, quibus non suppetit, quod ad unam refectionem certo tempore faciendam sufficit. Hinc nec generatim accusandi, nec generatim excusandi illi, qui ostiatim mendicant.

Titulo necessitatis excusantur operarii, itinerantes &c. qui operando, aut itinerando, aliudve agendo laborem necessarium, & talem impendunt, qui cum jejunio consistere nequeat

queat juxta conditionem personæ. Non tamen excusantur, qui ambulationis gratiâ, venationis, &c. itinerando se fatigant, quia non est labor necessarius.

Titulo pietatis excusantur concionatores quadragesimales, assistentes infirmis, aliaque misericordiæ opera præstantes, quando corum labores fieri non possunt à jejunis.

8. An liquidum, extra refectionis tempus sumptum, frangat jejunium?

¶. 1. Communiter in proverbium abiit: *Liquidum non frangit jejunium; sed modificandum est.* Unde

¶. 2. Potus sumptus extra tempus refectionis, ut necessarius est, aut utilis ad alterationem carnis, & digestionem cibi, non violat jejunium.

¶. 3. Potus, præcipuè per se nutritivus, sumptus ultra necessitatem, & utilitatem in magna quantitate, præcipuè usque ad alterationem rationis, aut ebrietatem, certissimè violat jejunium: quia talis potitatio contrariatur finibus jejunii, qui sunt mortificatio carnis, satisfactio pro præteritis, cautio pro futuris peccatis, elevatio mentis in cælestia. Hinc in die jejunii ebrius, dupli peccat peccato, uno contra sobrietatem, altero contra præceptum Ecclesiæ.

9. An violetur jejunium per sumptionem The, Caffi, aut Chocolati?

¶. 1. Quòd The non violet, certum est: idem est de similibus, V. G. Veronicâ, aquâ salviali

&c. non sunt enim nutritiva. Aliud foret, si lacte coquerentur, lac enim per modum cibi sumitur.

De Caffi, quæ est materia ex fabis compo-
sita, adeoque aliquo modo nutritiva, major
est difficultas. Sed cùm nec carnis mortifica-
tionem, nec mentis in cælestia elevationem
impediat, non violat jejunium.

Observandum interim, quòd magnam diei
partem insumentes talibus potibus sumendis,
sæpè peccent contra temperantiam, plerūm-
que tamen tantum venialiter.

Q. 2. Quòd Chocolati nutriat, certum est ex
experientia, & simul ex materia, ex qua com-
ponitur, V. G. saccaro, aliisque aromatibus
confortativis &c. undè sumens illud, verè
sumit nutrimentum.

Q. 3. Qui ex causa rationabili die jejunii sumit
Chocolati, non plus peccat, quām qui alia
electuaria de iudicio medici sumunt. Ratio
est, quia jejunium non violatur, nisi per ea, quæ
Ecclesia interdicere intendit instituendo jeju-
nium. S. Thom. a. 6. ad 2.

An verò sit licitum extra similem necessita-
tem in die jejunii, Chocolati sumere, cùm
haec non determinaverit Ecclesia, nec
ego determinare ausim: proinde rem illam
simoratorum conscientiæ relinquo.

Attendendum tamen, juvenibus validis &c.
usum Chocolati in Quadragesima non esse
permittendum, ne seryus (corpus) impingua-
tur,

t, si
cibi
mpo-
major
fica-
nem
diei
ndis,
rūm-
st ex
com-
ribus
verè
tumit
i alia
Ratio
, qua
jejn-
ssita-
cùm
nec
illam
s &c.
esse
guar-
tum
tur,

tur, recalcitret, & concupiscentiarum vepres ultra caput excrescant.

CASUS XIV.

Quid faciendum cum eo, qui dicit: fregi jejunium?

Bz. 1. Cùm jejunium multis modis infringi possit, quærendum, an notabiliter per esum carnium &c. 2. An sit pater-familias, an non scandalizaverit alios, & an multos? An non hortatus fuerit alios, & quot, ad similiter frangendum? &c. Inculcer Confessarius illud S. August. non habebit in cælis Deum Patrem, qui in terris renuit habere Ecclesiam Matrem.

CASUS XV.

Petrus, & Andreas in aliquo diversorio prandium sumpserunt die jejunii: horâ autem secundâ, quâ absolvunt suam refectionem, mandant, ut similem cœnam præparet in vesperam: hic autem petit, an Domini sint exempti? Respondent, se quidem non exemptos, interim velle manducare; caupo vero vir timoratæ conscientiæ, dicit se non posse cooperari peccato ipsorum, & malle parvo lucro carere, quam Deum graviter offendere: isti indignabundi discedunt, narrantque casum cauponi alteri, casu occurrenti; hic dicit, quæsularum sit caupo iste, non meretur honestos hospites, ego vos invito hodiè ad cœnam optimam, in qua novit illos præceptum jejunii graviter violaturos. Queritur, an primus caupo hoc debuerit facere, secundus illud omittere?

Circa primum variant Casuistæ. Meo quidem judicio caupo imprudenter perebat, an forent exempti à jejunio. 1. Supponere poterat illos in

hac materia satis esse instructos, ut scirent, quid possent facere, quid omittere. 2. Similis interrogatio nociva est cauponi, & hospitibus non proficia, proinde utilis; postquam enim firmiter statuerunt cœnare lautè, propter cauponem non jejunabunt, sed ad aliam tabernam deflectent; unde lapsus ipsorum non impediet, sed magis exacerbabuntur. Verumtamen ubi ex ipsis intellexisset, se à jejunio exemptos non esse, benè fecit cœnam denegando.

Ad 2. partem quæst. cauponem alterum hospites illicite invitâsse ad cœnam opiparam; nemo enim potest invitari, vel incitari ad id, quod sine peccato præstari non potest.

C A S U S XVI.

Titius & Caia sexagenarii sèpè audierant homines istâ aetate non amplius obligari ad legem jejunii. Securitatis ergo principio quadragesima confessarium consulunt; resolvit eos à lege exemptos. In medio quadragesima rursum confitentur, sed non ordinario confessario, petuntque, an istâ aetate lex jejunii ipsos non stringat? Confessarius resolvit, ipsos debere jejunare, si adhuc valeant, & non sint impotentes. Quilibet, ait, se suo metietur pede, lex Ecclesie vos non obligat, si non valetis jejunare sine gravi incommodo, aliter tenemini. Respondent, se posse jejunare, licet non nihil difficulter. Quaritur, an Titius & Caia sexagenarii, et si utcumque non valeant jejunare, teneantur unicâ refectione esse contenti?

Casus in Sede confessionali est obvius, & resolvo

solvo aff. Ante ætatem sexagenariam dum non possunt jejunare, Ecclesia ipsos eximit à jejunio, sicut vera mater non exigit debiti solutionem à filio, qui solvere non potest; ergò etiam post illam ætatem, dum possunt jejunare, obligantur ad jejunium. Lex ergò censetur obligare subditos capaces legem servandi.

TRACTATUS

DE

LEGIBVS.

CAPUT PRIMUM.

Quid Lex, & quæ ejus Divisio.

LEx generaliter spectata est, *Regula morum*, secundum quam inducimur ad agendum, vel ab agendo retrahimur. Duplex est; naturalis, & positiva.

Naturalis est, *Quæ proficiscitur ex lumine rationis. Est immutabilis, & à nullius libera voluntate dependet.*

Positiva est, *Quæ ponitur in arbitrio, ac voluntate legislatoris, & ab eo dependet.*

Lex naturalis est radius legis æternæ, quæ est ipsa ratio Divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. S. Aug. L. 22. cont. Faust. cap. 27.

Omnis lex derivatur à lege æterna: etenim in temporali lege nihil est justum, atque legitimum, quod non ex hac æterna lege sibi homines derivaverunt. S. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6.

1. Quotuplex assignatur legis mutatio?
2. Triplex: una est, quâ fit, ut lex abrogetur; altera, quâ in lege dispensatur. 3. Quâ fit, ut mutetur materia legis, sive circumstantiæ, in quibus lex lata erat.

2. Quandonam censetur propriè fieri dispensatio?
3. Quando lex sufficienter promulgata desinit obligare ex eo, quod legislator, manente eadem materiâ, vel iisdem circumstantiis, in quibus antea obligabat, vi potestatis legislativæ tollat obligationem: ut si dux militiæ eximat gregarium militem ab onere agendi excubias &c.

Dicitur, manentibus iisdem circumstantiis; quia si istæ mutentur, & ideo cesseret obligatio legis, non propriè fit dispensatio, sed solum dicitur mutari materia legis. Ut si aliquis rhedâ vehatur, & rex imponat omnibus & singulis onus annuè pendendi supremum aureum, & aliquis, qui rhedam intertenuit, eam abjiciat, eximetur ab onere, nec tamen propriè respectu istius fit dispensatio.

3. An lex æterna possit abrogari, item an lex naturæ possit immutari?
4. Ad utrumque neg. Utraque immutabilis, & à nullius legislatoris voluntate dependet. In neutra potest fieri dispensatio rigorosa, quia nec

nec ipse Deus ab aliquo in particulari potest auferre legis æternæ, aut naturalis obligacionem: unde efficere non potest, ut cuiquam liceat mentiri; si enim alicui licentiam mentiendi facere posset, posset & sibi: & hoc demum si posset, quis jam convinceret Scripturam Sacram à mendaciis esse immunem?

Potest tamen lex æterna, vel naturalis mutari hoc sensu, quod obligatio desinat propter mutationem materiæ, vel mutatas circumstantias; sic reddere alienum juris naturalis est, si tamen dominus rei id, quod alienum erat, ex liberalitate &c. mihi proprium faciat, non sit propriæ dispensatio in hac lege naturali, *non licet retinere alienū*, sed mutatur materia & circumstantie.

4. Quid intelligitur per *Epikeiam* in lege?
 5. Interpretatio legis, quæ potest fieri dupli modo: 1. Legem declarando, & explicando, quæ est Epikēia latè sumpta. 2. Colligendo, & judicando, quod lex desinat me obligare in aliquo casu particulari, licet tamen spectatâ suâ generalitate videatur extendi.

In lege positiva datur Epikēia strictè dicta, quia interpretamur legem jejunii ab Ecclesia non extendi ad ægrotos, &c.

In lege tamen naturali epikēia strictè accepta locum non habet, quia, ut dictum est, immutabilis est, & proinde in nullo casu particulari potest deficere. An detur ignorantia vel in lege naturali, vel positiva, videte suprà in tractatu de Actibus humanis.

CA-

C A P U T II.

De Lege positiva, de ejus effectu, & subiecto.

LEx positiva est, quæ ex legislatoris arbitrio, ac libera voluntate dimanat. Differt à mandato, quod illud soleat restringi ad certum tempus, non verò lex, quæ ex natura sua est perpetua.

1. Quandouam censetur cessare finis legis?
2. Quando lex non amplius conducit ad finem à legislatore intentum.

Cessat autem lex dupliciter; *negativè* sc. & *contrariè*. Cessat *negativè*, quando legis observatio non amplius utilis est fini legis, quamvis illi non aduersetur, neque notabiliter obser.

Cessat *contrariè*, quando lex non tantum est inutilis, sed fini legis aduersatur, & obser.

Rursum dupliciter potest cessare finis legis; sc. *in particulari*, & *in communi*. Cessat *in particulari*, quando cessat respectu unius, vel plurimum; *in communi* verò, quando cessat respectu omnium, vel paucorum. Finis legis etiam potest cessare *adæquate*, id est, *ex toto*, vel *inadæquate*, id est, *ex parte*.

2. An cesseret lex cessante fine tantum ex parte?
3. Neg. Dum sc. alii fines partiales non cessant, qui tales sunt, ut legislatorem sufficienter induxerint ad legem ferendam.
3. An cesseret lex, quando cessat finis *in communi contrariè*?
4. Aff. Quia non est mens legislatoris, imò nec ratiō-

rationabiliter esse potest, ut communitas agat contra bonum commune. Idem dicendum, quando finis legis cessat contrarie in particulari.

4. An etiam cesset lex, quando finis aequaliter cessat negative?

¶. Aff. Quia cessante motivo adaequato, & ratione totali, propter quam legislator legem tulit, voluntas ejus, adeoque obligatio legis, cessare videtur.

5. An quando finis merè cessat negative in particulari, cesset etiam lex respectu illius particularis?

¶. Neg. Quia tali casu lex adhuc obligat communatem, cui particularis iste se conformare tenetur, nisi justa ratio permittat oppositum.

6. An promulgatio legis sit de ejus essentia?

¶. Neg. Sed tantum est conditio, sine qua non.

7. An lex humana debeat promulgari in omnibus locis, in quibus subditi habitant?

¶. Neg. Attentâ sc. solâ rei naturâ, & seclusâ juris dispositione: illa enim promulgatio sufficit, quâ legis notitia possit derivari ad omnes.

8. Dependetne valor legis ab acceptatione populi?

Alexander VII. damnavit hanc: *Populus non peccat, etiamsi absque causa non accipiat legem à Principe promulgatam.* Proinde

¶. 1. Ab acceptatione populi non pendet valor legis Ecclesiastice, quia authoritas Ecclesiæ est à Christo, & consequenter super populum. Proinde lex Ecclesiastica omnes obligat, nisi constet de Pontificis conniventia, sicutque de

94 TRACTATUS DE LEGIBUS

tacito consensu, ut constat de Lege Tridentini in Gallia non recepta.

¶. 2. Etiam ab illa acceptatione non pendet valor legis civilis; quia sicut Lex naturæ dictat, parentum esse parentibus, ita & dictat parentum esse Superioribus legitimè mandantibus: sed mandata parentum obligatoria non pendet ab acceptatione filiorum; ergo &c. quandonam autem leges tam Imperiales, quam Regiæ sint sufficienter promulgatae, & in quibus locis, an in omnibus &c. debeant promulgari, ut obligent, dependet partim à voluntate legislatoris, partim à conventione populum inter & Principem facta.

9. An, ut Leges Pontificiæ obligent undique, sufficiat, quod promulgentur Romæ?

¶. Aff. Saltem de jure communi. Patet ex variorum Pontificum decretis; alioquin multæ decretales, quæ in usu sunt, non obligarent.

Dicitur, *jure communi*, quia in quibusdam locis Leges Pontificiæ vim non habent, nisi à Principe, vel ejus Concilio fuerint acceptatae, quando nimirum Pontificem inter & Principem peculiaris intercessit conventio.

10. An lex humana obliget in conscientia?

¶. Aff. Quia recta ratio docet, leges justas esse servandas. *Subjecti igitur estote omni humana creature propter Deum, sive Regi tamquam præcellenti, sive Ducibus &c.* 1 Petri cap. 20.. Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ad Rom. 13.

11. An

11. An transgredi legem humanam, cum gravi scandalō, vel etiam ex contemptu stricte accepto, sit peccatum mortale, esto materia legis in se sit levis?

¶. Aff. Quia grave scandalum, uti & contemptus stricte acceptus culpa gravis est. *Ubique contemptus damnabilis est*, Bern. Ille autem censetur legem transgredi ex contemptu stricte accepto, qui transgreditur eo fine, ut contemnatur Lex, vel legislatoris authoritas.

12. An lex humana quandoque obliget cum vitæ periculo, immo cum certa ejusdem jaſtura?

¶. Aff. Tunc sc. cum bonum, ex ejus observacione proveniens, præponderat vitæ, de qua agitur. Casus est in milite servante stationem: in Carthusiano abstinentे à carnibus, dum alios cibos habet, cum certo mortis periculo.

13. Quæ est Lex pœnalis?

¶. Est illa, *in qua opponitur pœna*: ut si statuat Princeps: si quis pisces clam in urbem intulerit &c. pendet 100. florenos.

14. Quid breviter dicendum de lege pœnali?

¶. Statui possunt 3. Regulæ: 1. Lex purè pœnalis, id est, expressè nec præcipiens, nec prohibens aliquod opus, sed tantum statuens prævaricatoribus pœnas, non obligat in conscientia ad opus legis determinatè, sed tantum disjunctivè, vel ad ipsum opus à lege præscriptum, vel ad pœnam statutam.

2. Lex pœnalis copulativè mixta, & obligat in conscientia ad opus Legis determinatè, & ad pœnam, suppositâ prævaricatione.

3. Lex

96 TRACTATUS DE LEGIBUS.

3. Lex pœnalis disjunctivè mixta, cùm non præscribat determinativè, & absolutè aliquod opus, sed tantùm disjunctivè, etiam ad neutrum obligat determinatè, sed tantùm sub distinctione; vel ad ipsum opus legis, vel ad pœnam decretam, & ita coincidit cum pœnali.

15. An Lex pœnalis obliget in conscientia ad pœnam statim subeundam?

¶. Si sit pœna sententiæ ferendæ neg. Si Lex contineat pœnam latæ sententiæ aff. Puta excommunicationis ipso jure &c. Hoc tamen locum non habet, quando pœna requirit ministrum justitiæ.

16. Quinā generaliter Legi positivæ subjiciuntur?

¶. Omnes, qui ratione utuntur, & potestati legislativæ subduntur.

17. An Legislator Legi suæ subjiciatur?

¶. Non subest Legi à se latæ quoad coactionem, hoc est, cogi non potest per pœnas, aut violen-tiam: nec etiam suæ Legi subjicitur quoad vim directivam, id est, quoad ejus observantiam, quia obligatio, quæ ex vi legis positivæ oriretur, potestatem supponit superiorem, & ideo nec par in parem potest habere jurisdictionem.

Verosimile est, quod legi suæ subjiciatur indirectè, præcipue in materia æqualiter legislatorem & subditos respiciente naturalis enim æquitas postulat, ut caput conforme sit membris; alias namquæ leges subditis odiosæ redundunt, sæpè non sine periculo scandali & liberioris prævaricationis.

18. Quin

18. Quibus legibus tenentur peregrini, & vagabundi?
19. Spectando jus commune, tenentur servare leges locorum, per quæ transeunt, dummodo fuerint eorum statui, & conditioni, accommodatae: alioquin vagabundos &c. deberemus dicere ex leges, cum nullibi fixum habeant domicilium.
20. An, qui egreditur ex proprio territorio, in quo non est jejunium, & proficiscitur ad locum, in quo viget jejunium, teneatur jejunare?
21. Quamdiu est in suo territorio, non tenetur jejunare, sed statim atque fuerit in loco, ubi jejunatur, jejunare debet.
22. An, qui ante meridiem proficiscitur ex loco, in quo est dies festus, ad alium, in quo non celebratur festum, teneatur audire Sacrum?
23. Sententia affirmans est probabilior, & tutior. Ratio est; quia talis fuit omnino obligatus audire Sacrum, cui obligationi satisfacere potuit, antequam iret ex loco, in quo obligatio vigebat.
24. An, quando in una Parochia est dies Festus, possint Parochiani similiter laborare extra suam Parochiam?
25. Neg. Non subsistente sc. justa causa, quia ratione domicili tenentur ad celebrandum festum.
26. An natus in Belgio, ubi Lex Concilii Trid. viget, modò habitans in Gallia, vel in alia Patria, ubi Lex ista non est recepta, possit validè contrahere Matrimonium clandestinè?

G

R. Aff.

¶. Aff. Quia talis est omnino par incolis istius loci. Si tamen quis tenderet in Galliam animo fraudandi legem Concilii, non desunt, qui de valore istius Matrimonii dubitarent.

C A P U T I I I.

De consuetudine, & Legis dispensatione.

§. I. *Quid consuetudo?*

Alia est consuetudo secundum legem, alia praeter legem, alia contra legem. Consuetudo secundum legem est, quae legi est conformis; talis est consuetudo communicandi in Paschate. Alia praeter Legem, quae neque Legi conformis est, neque disformis; ut consuetudo iudicis cœnandi. Consuetudo contra legem est illa, quae repugnat legi; ut consuetudo vespere cœnandi in quadragesima opiparè, & lautè.

1. Quot modis potest abrogari Lex per contrariam consuetudinem?

¶. Tribus: 1. Si legislator eam expressè approbet. 2. Viâ conniventiae. 3. Viâ præscriptionis.

Abrogatur Lex viâ conniventiae, quando legislator consuetudinem Legi contrariam sciens, & advertens tolerat.

Tollitur viâ præscriptionis, dum in scio legislatore consuetudo invaluit Legi contraria, idque longo tempore.

2. Quantum temporis requiritur, ut consuetudo Legis obligationem tollat?

¶. Ut

¶. Ut Lex abrogetur viâ præscriptionis, requi-
runtur passim 10. anni, si agatur de *Lege civili*;
si autem de *Ecclesiastica*, 40. anni: nam in præ-
scriptione consuetudinis, communi omnium
ferè sententiâ receptum est, requiri idem tem-
pus, quod requiritur in præscriptione aliarum
rerum.

3. An omnis consuetudo vim habeat abrogandi
Legem?

¶. Neg. Etenim illa consuetudo, cui legislator
repugnat, nihil operatur.

4. Quid requiritur, ut consuetudo vim Legis
obtineat?

¶. Debet observari cum intentione introducen-
dæ obligationis, & hoc dignosci potest, quod
populus scandalizetur, quando consuetudo
non servatur, quando prævaricationes solent
reprehendi &c.

5. Quæ consuetudo dicitur rationabilis?

¶. Illa, quæ remotâ Lege, quam molitur ever-
tere, nihil involvit, quod Legi Divinæ, aut
naturali adversatur.

6. An consuetudo abrogandi legem malâ fide
possit inchoari?

¶. Aff. Quia plerumque sit, quod subditi pec-
cent, quando consuetudinem inchoant Legi
contrariam. Ratio petitur ex voluntate legis-
latoris, qui rationabiliter velle potest, ut con-
suetudo valeat, licet malâ fide inchoata.

§. 2. *De Dispensatione.*

Dispensatio est, *juris alicujus relaxatio facta ab eo, qui legislativam habet potestatem.*

1. An dispensatio data sine justa causa in lege humana sit valida?
2. **Aff.** Si concedatur ab eo, qui legem tulit, vel ab ejus successore, qui parem cum illo habet potestatem: quia potest legislator sine causa validè tollere legem respectu totius communitatis, (licet tollendo fortè peccaret) ergo etiam aliquem, vel aliquos in particulari ab obligatione legis eximere.
3. An dispensatio impetrata per fraudem subsistat?
4. 1. Dispensatio fraudulenter impetrata ex allegatione falsi, quod principaliter impulit superiorem ad dispensandum, est nulla; quia dispensans solet subintelligere hanc clausulam: si preces veritate nitantur.
5. 2. Dispensatio fraudulenter accepta ex reticentia veri, quo allegato non fuisset concessa, nulla est: quia non est legislatoris intentio concedendi dispensationem, supposita veritate talis impedimenti.
6. 3. Rescripta Pontificum non valent, quando obreptio, vel subreptio est vitiosa, seu malitiosa, etiamsi fortè illis sepositis facta fuisset dispensatio. Constat ex capit. *super literis. de rescripto.*

Obreptio autem est, *allegatio falsi: subreptio autem, reticentia veri pertinentis ad rem, pro qua petitur dispensatio.*

3. An

3. An dispensatio continens errorem valeat?
4. 1. Valet, si error nihil faciat ad rem.
2. Etiam valet, si error tantum sit accidentalis, ut si sit erratum in nomine personæ, vel dicēsis, ad quam pertinet is, cui conceditur dispensatio.
3. Non valet, si error sit substantialis, V. G. circa principalem causam dispensationis: quia tunc deficit causa, cui innititur voluntas dispensantis.
4. Quæres, an dispensatio matrimonialis super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis valeat, quando præviè habita est copula carnalis, & hæc non fuit expressa in libello supplici?
5. Juxta modernum stylum curiæ Romanæ hujusmodi dispensationes nullatenus valent in praxi, quia reticetur aliquid, ob quod fortè dispensatio non fuisset concessa.
6. An absolutio à Simonia valeat, si Canonicus &c. Simoniacus celet Pontifici, se dixisse antequam fieret Canonicus: *Factus Canonicus pe- tam absolvi à Simonia.*
7. Non valet ob fraudem latenter.
8. Quæ sunt justæ causæ ad dispensandum?
9. Necessitas, utilitas, & pietas.
10. Quid dicendum de hoc casu: Joannes & Maria petierunt dispensationem in tertio gradu affinitatis, & Pontifex commisit Episcopo loci, ut suo nomine dispenseret, suppositâ precum veritate, at in rescripto Pontificis erratum est

facta
lege
, vel
habet
causa
mu-
ergo
ri ab
sistat
ex al-
pulit
quia
ausu-
x re-
con-
is in-
posita
ando
nali-
uisset
s. de
reptio
, pro
3. An

per incuriam Amanuensis, in quantum loco tertii gradus affinitatis, positus est tertius gradus consanguinitatis.

¶. Episcopus potest dispensare, dummodo partes ostendant, se clarè, & distinctè petiisse à Pontifice pro dispensatione tertii gradus affinitatis. Ratio est, quia est spectanda Pontificis intentio, vi cuius vult efficaciter dispensare super impedimento sibi proposito. Tractare hoc loco deberemus de Virtutibus Theologicis, sed lectorem remittimus ad Catechistas, qui de natura istarum virtutum, & de tempore, quo obligant earum exercitia, tractant sufficienter, nos quæ ad praxim pertinent, casibus perstringemus.

C A S U S I.

Quid agendum Confessario cum eo, qui dicit: Fui hereticus?

Ante responcionem nota, hæresim, saltem occultam, in hisce Belgii partibus non esse casum soli Pontifici reservatum. Ita graves Authores, & Episcopi Belgici expressè sibi reservant casum hæresis, quod frustrà facerent, si soli Pontifici sit reservatus: & licet reservetur in Bulla Cœnæ Domini, videtur in his partibus locum non habere, cùm in hisce partibus casus iste frequenter incurritur; ac proinde quando Episcopus dat alicui potestatem absolvendi à casibus sibi reservatis, non excipit hæresim particulariter.

Quid igitur tali Confessario agendum?

¶. I. Inquirere debet, num formaliter hæresi-

CLXXX

cus, & cum pertinacia defenderit, ac tenuerit errores contra fidem?

Ad pertinaciam illam requiritur voluntas resistendi doctrinæ, quam novit Ecclesiam Catholicam sibi sufficienter propositam proponere, ut fidei: unde qui ex ignorantia etiam crassa, & aliquando plurimum culpabili errat, non est pertinax, & consequenter nec formalis hæreticus, si sit taliter constitutus, ut velit omnia credere, quæ sibi tamquam à Deo revelata sufficienter proponentur. Si deprehendatur formalis hæreticus, interrogandus est 1. In qua hæresi fuerit, V.G. Calviniana, Lutherana, vel cuius falsæ religionis fuerit sectator? Quia secundum veriorem sententiam in omnibus non est ejusdem speciei malitia, quatenus ritus diversi, qui in diversis hæresibus exercentur, specie differunt. Sic Calvinismus continet malitiam Sacrilegii in usu Eucharistiae &c. Deinde in quibusdam hæresibus, ratione materiæ, quam negant, vel quam profitentur, conjuncta est particularis blasphemia V.G. contra Divinam naturam, vel personas. 2. Ut Confessarius melius cognoscat istius pœnitentis peccata, debet, cognitâ ipsius hæresi, petere, quanto tempore in illa hæresi fuerit; & tum 3. Inquirere debet minutim peccata, quæ isto tempore fecit. In illis autem discutiendis debet Confessarius adjuvare pœnitentem, interrogando de peccatis, quæ solent communiter hæretici committere, et si pœnitens nec omnes species, nec numerum sciat exprimere, tunc sufficit, quod dicat:

dicat: Numquam jejunavi, indies comedi carnes, isto tempore, quo fui hæreticus, V.G. tribus, quatuor annis &c. quotiescumque occurrebat occasio; dicat, quoties in septima occurserit, & an tunc blasphemias eructaverit in S. Eucharistiam, Sanctos &c. an non detraxerit Ecclesiæ, & Pontifici? &c. Atque ex his Confessarius aliquo modo numerum peccatorum conjicere potest, & quamvis arithmeticè non possit, sufficit, quòd moraliter, quantum hic & nunc fieri potest, id faciat. Et forsitan si valde accuratè vellemus tales circa numerum peccatorum interrogare, satagaremus pœnitentem, & in causa essemus, quòd suspicatur, Confessionem esse onus grave valde, & importabile, & sic ipsum ab illo Sacramento averteremus. 4. Ipsi ante oculos ponenda misericordia, & bonitas Dei, ipsum (non obstantibus per apostasiam gravissimis ipsius offensis) reducentis ad viam veram salutis, & Ecclesiæ, ac fidei gremium, extra quod nullus salutē consequi potest.

Si advertat, pœnitentem tantum fuisse materialiter hæreticum, quales sunt multi simpliciores, & rudiores in Hollandia & Zelandia, maxime in pagis, talem potest quivis Confessarius absolvere, licet non habeat potestatem absolvendi à Casibus reservatis, cùm solummodo hæresis formalis reservetur, non materialis. Imò quandoque contingit, sed raro his temporibus, tales inculpabiliter ignorare fidem defectu debitæ instructionis, quam habere, vel accipere non est fortè in manu ipsorum, & tunc de ipsa igno-

ignorantia, utpote involuntaria, nec de ejus effectibus, eamdem rationem habentibus, se accusare non debent, licet in his partibus rarius prætendi possit ignorantia planè invincibilis.

Confessarius autem non debet ipsos statim absolvere; quia ut quis possit absolvī, non sufficit tantum, quod non sit hæreticus formalis, sed requiritur etiam, ut sit Catholicus formalis. Unde prius eos debet instruere in fide Catholicā, & proponere motivum fidei, tum absolvat eum ab excommunicatione reservata, & conversus faciat Fidei professionem.

Sed quare posset, quomodo justè Deus talem hominem damnaret, si ita moreretur hæreticus materialis, eum impossibile sit, sine fide placere Deo, & ad filiorum Dei consortium pervenire?

R. Deus talem hominem non damnaret ob infidelitatem negativam, quæ peccatum non est, sed vel cœlitus illuminaret, vel in via S. Thomæ Evangelicæ veritatis præconem destinaret, quemadmodum ad Cornelium Centurionem, vel permitteret, si antecedenter lapsus non fuisset, ut propriâ voluntate impingeret in præceptum contra jus naturæ, ob quod justè à justo Deo posset damnari. Cæterum qui fide non sunt illuminati, non solent à peccatis, contra jus naturæ commissis, esse liberi.

C A S U S II.

Quid aget Confessarius cum muliere Catholicā, quæ dicit, se verberibus, & minis cogi à suo marito heretico, ad frequentandas conciones hæreticas, ad

comedendas carnes diebus prohibitis, ad sacram
omittendum Dominicis diebus, & Festis?

Petendum, ex quo fine, ex qua intentione hoc
faciat maritus? Si dicat, maritum hoc facere ex
despectu, & contemptu Ecclesiæ, ejusque legum,
& ad ipsam pervertendam à fide Catholica ad
non Catholicam, nullo modo in illis obedire
potest marito, & potius debet ferre verbera, in modo
& mortem, quam cooperari pessimæ intentioni
mariti. Consolanda proinde pœnitens, ut propter
Deum illa patienter ferat exemplo martyrum,
qui tot, ac talia pro fide passi sunt, & si separari
possit sine scandalo, & prolium detimento, in-
ducenda est, ut relinquat maritum suum ad evi-
tandum periculum subversionis, & ad liberiūs
Deo serviendum, & observandum Leges Eccle-
siæ. Hinc cùm Rex Angliæ præcepisset suis subdi-
catis sub gravi pœna interesse concioni hæretico-
rum, consultus hac de re Paulus V. respondit,
quod non obstante multâ interesse Catholicis
non liceat sine detimento Divini cultus, & ipso-
rum salutis.

Sed quid si maritus hoc non faciat ex fine jam
dicto, sed tantum ipsam cogat, ut vadat ad tem-
plum hæreticorum cum marito, ne alias solus de-
beat ire, vel ex quadam zelotypia, ne ipso sc.
absente alii mulierem accedant?

In isto casu aliquoties maritum comitari potest
ad templum hæreticorum, secluso scandalo, &
perversionis periculo; sedeat tamen in loco, ubi
concionatorem non intelligit, vel si intelligat,

voluntariè distrahatur; si autem lateat aliquod periculum, nullo modo se marito associet.

Si maritus cogat uxorem ad comedendas carnes diebus prohibitis, vel quia maritus alios cibos suppeditare non potest, vel quia videt uxori magis prodesse carnes, quam alios cibos, tunc potest comedere carnes; quia Ecclesia non vult obligare suos subditos ad observationem legum suarum cum tanto ipsorum incommodo.

C A S U S III.

Titius interrogatus à Tyranno de sua fide, non audet aperte Christum profiteri, aut etiam negare, verbis utitur ambiguis: Queritur, an licet?

R. Non satis est, inquit Amb. l. i. in c. 22. Lucæ, *Involutare sponsio confitentis ē Esum, sed aperta confessio: quid prodest verba involvere, si videri vis denegāsse?* Et ratio est, quia hoc est Christum erubescere illo tempore, quo urget præceptum confitendi.

C A S U S IV.

S. Cyprianus epist. 21. & 25. scribit, fuisse quosdam libellaticos dictos, qui Christum publicè negare erubescentes, privatim id per se, vel per alium suo nomine faciebant, & pretio dato impetrabant à Magistratu libellos securitatis, nè ulterius in eos fieret inquisitio, & cogerentur fidem exterius negare. Queritur, an egerint contra fidem?

R. Aff. Et nihil certius: nam præceptum, vi cuius tenemur, non erubescere Christum, est negativum, & consequenter in quolibet casu obligat. Et certè sive quis publicè, sive privatim,

sive

103 TRACTATUS DE LEGIBUS.

sive per se, sive per alium fidem abneget, equidem eam negat, & infert Christo injuriam.

C A S U S V.

Petrus Catholicus, & Sacerdos in consortio quorumdam hereticorum interrogatus, an sit presbyter, deinde an sit Papista, negat utrumque; queritur, an egerit contra fidem?

Re. Ad primum, negare se Presbyterum, non est agere contra fidem: potest enim quis esse Catholicus, & non Presbyter: proinde licet se negando Presbyterum mentitus fuerit, non debet tamen censeri abjurator fidei. Idem dicendum de eo, qui negat se Religiosum, ubi tamen est.

Ad 2. Resp. id pendere ex circumstantiis; vel enim per Papistam intelligitur Sacerdos, & hoc negando non agit contra fidem, vel, ut passim solet, intelligitur Catholicus, & certè hoc negando contra fidem agit: qui enim se negat Christianum, negat Christum, ut benè advertit S. Aug. tract. 113. in Joan. dicens: *In ipsa negatione Petri debemus advertere non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed etiam ab illo, qui cùm sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro, discipulum meum te negabis, sed me negabis; negavit ergò eum, cùm se negavisset discipulum.*

C A S U S VI.

Antonius in Hollandia degens inter hereticos, cum illis interdum erat in eorum Templis, interest ex curiositate Cœnæ Calvinisticae, ipsorum sèpè audit conciones; queritur, an haec illi sint licita?

Ad

Ad 1. p. Illud ex se non videri illicitum: ex circumstantiis tamen posse esse malum, ut si adfint infirmiores, qui scandalizentur, vel si modus orandi sit talis, ut meritò queat à circumstantibus judicari, quòd communicet cum hæretico in secta, ut facile contingere potest.

2. Etiam ex se apparent licitum, sed accessu circumstantiarum potest fieri illicitum, ut si ipse non simpliciter intersit cœnæ, sed etiam participe ex ea, quia hoc foret communicare cum Calvinistis in ritu erroneo, quo fit hæresis protestatio.

3. Non est licitum, præsertim cùm sit periculum scandali, aut subversionis: ut si Antonius sit rudis, aut infirmus in fide: licet tamen ob finem politicum, ut si famulus V.G. honoris gratiâ comitetur suum Dominum ad concionem ministri, quia tunc nullus est in doctrinam hæreticam consensus, sed tamen avertendum est scandalum.

Licet etiam, quando fit animo irridendi, aut confutandi doctrinam concionatoris hæretici: imò non apparent, cur non liceat interesse ex curiositate, quando non est periculum subversionis, V.G. si aliquis sit valde firmatus in fide Catholica; saltem qui sic interesset, non videretur peccare, nisi peccato vanæ curiositatis.

C A S U S VII.

Petrus in Hollandia matrimonium contraxit cœram ministro hæretico: Quæritur, an licitè?

R. Contraxisse illicitè, si minister matrimonio benedixerit, quia sic approbatus fuisset, tamquam legi-

110 TRACTATUS DE LEGIBUS.

legitimus minister : si autem non benedixerit, & matrimonium coram illo initum fuerit per modum contractus civilis, ita ut minister solum adhibitus fuerit tamquam testis, non video, cur id censeatur esse contra fidem.

C A S U S V I I I.

Joannes Catholicus Henrici amici sui filium de fonte suscepit, dum inter haereticos haeretico more baptizaretur : An licet?

R^g. Id non apparere illicitum, quia Baptismus supponitur validus, & consulitur honori ipsius Sacramenti, eò quod patrinus suscipiat onus instruendi baptizatum in fide. Cavendum tamen est, ne fiant aliquæ ceremoniæ, per quas patrinus censeatur suo, aut baptizati nomine consentire in errorem haereticorum, & ne Baptismus conferatur invalidè.

C A S U S I X.

Petrus iter faciens per terras haereticorum die Veneris cum illis vescitur carnibus ; queritur, an non peccaverit, & contra fidem egerit?

R^g. Petro ob levem causam, qualis est V. G. irrisio, id non licuit: præsertim quia ob levem causam non relaxatur vinculum legis Ecclesiasticæ, & ille, qui propter irrisiones, & convitia, quæ faciunt haeretici in odium fidei, comedit carnes, censetur Christum erubescere, ejus fidem, & Ecclesiam.

Nullo modo etiam id licuit, si propter circumstantias abstinentia à carnibus soleat accipi ab haereticis tamquam professio fidei Catholicæ,

&

& comestio earum velut alterius fidei confessio, licet alias ei moriendum esset: quia hoc fore tacite negare fidem, & sectam profiteri alienam. His autem seclusis ex gravi causa, ad evadendam V.G. mortem, licuit illi vesci carnibus: quia in aliis casibus, dum lex Ecclesiastica non potest observari, citra grave incommodum, ut sit in gravi necessitate, censetur Ecclesia relaxare vinculum suæ legis, & ita verificatur, quod dicitur: *Ecclesia est benigna mater.*

CASUS X.

Pamphilus in terris infidelium fame pressus invenit cibum idolo positum, illumque comedit, ne famem levet; queritur, an licet?

R. Certum est, non licere, quando refertur ad cultum idoli, vel quando adstantes possunt meritò judicare, id referri ad cultum idoli, aut dum subest periculum scandali, dicente Apost. i ad Cor. 8. de idolotitis: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Cæterum si hæc absint, non videtur illicitum, si cibum illum meret ad pellendam famem sumpserit: *Esca enim nos non commendat Deo, neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus: videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*

Quidquid Apost. vel S. S. P. P. videntur in contrarium dicere, intelligendi sunt de ista sumptuione, quæ sit cum scandalo &c.

CA-

CASUS XI.

Quid aget Confessarius cum paenitente, qui ob multitudinem, vel suorum peccatorum enormitatem desperat?

1. Cùm hoc peccatum sit valde grave, & periculose, debet ante omnia Confessarius omni possibili modo conari talem ad veram spem in misericordem Deum, & veram de peccatis paenitentiam inducere, proponendo 1. motivum spei, sc. summam Dei misericordiam, quæ est super omnia opera ejus, ex qua pro homine peccatore factus est homo, & lytro pretiosissimi sui sanguinis hominem ex diaboli servitute redemit, &c. 2. Proponatur ei ob oculos, quòd cum peccatoribus in terra degens non venerit vocare justos, sed peccatores: *Non est opus valentibus medicus, sed agrotis*, quæ misericordia tanta est, ut numquam vel gravissimo peccatori se debite ad Deum convertenti in hac vita denegetur, quocumque instanti se ad Deum convertat, juxta illud æternæ veritatis effatum: *In qua hora ingemuerit peccator, iniuriam ejus non recordabor*. Adducat Magdalenam, Zachæum, Matthæum, Paulum, Augustinum, &c. & præcipue Latronem cum Christo crucifixum in ultimo ferè instanti vitæ, ad unicum quasi ejus gemitum in gratiam receptum.

Si autem obduratum desperantis cor Dei misericordiæ non flectatur, ad aliud extremum terroris, & metus gehennæ sese Confessarius convertere debet, ut vel illo ipsum quasi cogat ad Deum

Deum confugere. Hinc vivaciter ob oculos cordis ponatur æternitas, atrocitas, intolerabilitas illius pœnae ignis, quæ ipsi certo certius eveniet, nisi cum vera pœnitentia ad Deum se convertat; & si nec his verbis moveatur, potest Confessarius in articulo mortis, in quo omnia extrema sunt tentanda, ipso facto experimentum ipsi dare, capiendo titionem ardente, & illum vel ante oculos objiciendo, vel etiam ipsius calore, vel leviter tangendo carnem, ut sic ex dolore istius modicæ unctionis colligat dolorem æternæ, infinitæ, & intolerabilis combustionis ignis æterni.

Quando Confessarius illo, vel alio modo, prout ipsi videbitur magis utile, desperantem, Dei gratiâ, ad pœnitentiam adduxit, præviè debet conari, ut pœnitens verum de peccatis suis dolorem concipiatur, & etiam formalem actum spei, his, aut similibus verbis: *Misericors, & benignissime Deus, vera bonitas, & summum bonum meum, spero in te, & per merita dilectissimi Filii tui pro me scellestissimo peccatore crucifixi, desidero, & firmissime expecto remissionem peccatorum meorum &c.* Tunc Confessarius eum ad apertam suorum peccatorum confessionem debet adhortari, & ab illo specialiter petendum

1. Quoties habuerit efficacem beatitudinis obtinendæ nolitionem? 2. An desperaverit ideo, quia media ad salutem necessaria sunt difficultas, & quod excludant voluptates carnis, & mundi, quas appetit? An vero quia judicavit, salutem sibi factam fuisse impossibilem, & quod sibi per-

H

sua-

114 TRACTATUS DE LEGIBUS.

suaserit, Deum nolle, aut non posse peccata à se commissa remittere, ejusque misericordiam talis esse, quæ tot, & tam gravia toties iterata peccata condonare non velit, aut non possit?

Si ob primum desperaverit, petendum, an non voluerit cœlo carere, & bonis, ac delectationibus terrenis perfungi? &c. Hoc enim peccatum valde grave est contra virtutem Spei, Caritatem sui ipsius, & includens contemptum Dei, & beatitudinis. Si ob secundum; inculcat Dei erga nos misericordiam, quâ vult peccata remittere, ejus omnipotentiam, quâ potest. 3. Interrogandus, à quo tempore habuerit talis desperationem, & an totaliter omiserit omnia media ad salutem necessaria, & quæ in particulari? An V. G. singulis annis semel fuerit confessus sua peccata? An communicaverit in Paschate? An diebus Dominicis & Festis audierit sacrum? &c. An diebus ab Ecclesia statutis jejunaverit? An numquam elicuerit actus fidei, spei, & caritatis? 4. An aliquando formaliter & expressè vili-penderit & contempserit media ad salutem necessaria, vel ipsum Deum & beatitudinem?

* * * *

TRACTA-

TRACTATUS

DE
VIRTUTE RELIGIONIS,
EJUSQUE ACTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De natura Religionis, & Horis Canonicas.

Religio est, *Virtus moralis, exhibens Deo cultum devotum, quatenus est primum rerum omnium principium.*

Objectum ejus materiale est, *Cultus Deo debitus*, consistens in eo, quod divinam excellentiā, supremumque ejus in omnes creaturas dominium actu aliquo, seu interno, seu externo, cum submissione profiteamur.

Objectum autem ejus formale est, *ipsa Dei excellentia*. Differt à virtute Theologica, quod hæc tam pro materiali, quam formali Deum immediatè habeat pro objecto, illa verò pro materiali habeat cultum Deo extrinsecum.

Actus Religionis alii externi, ut Sacrificium; alii interni, ut oratio mentalis.

1. Quid sunt Horæ Canonicae?

R. Sunt certæ preces, quæ ex prescripto Ecclesiæ & decreto quotidie dicuntur, tum ad laudandum Deum, eique gratias agendum, tum ad implorandum ejus opem.

116 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

2. Quinam ad Horas Canonicas obligentur?
3. 1. Certum esse, obligari uno è majoribus Ordinibus insignitos, non tamen, qui sunt iniciati minoribus.
2. Religiosos, non Jesuitas, nondum in Sacris constitutos, item Moniales, dum Chorum profitentur, quia hæc est consuetudo laudabiliter introducta, obtinens vim legis.
3. Etiam ad Horas Canonicas obligantur Beneficiati in Sacris non constituti, quando habent beneficium ad sustentationem sufficiens, quia proventus Ecclesiastici dantur propter officium divinum.
4. Ad Horas Canonicas verisimiliter obligantur Beneficiati possidentes Beneficium quantumcunque tenuer.

Ratio est, quia Conc. Lateranense generaliter dicit: *Beneficium datur propter Officium.* Proinde infortunio suo, vel etiam sibi impunitent, quod Beneficium acceptando, in talem sortem consenserint. Hoc interim ipsis potest esse consilio, ut Beneficium dimittant; si non possint, in patientia sua possideant animas suas, scientes, quod onus recitandi Horas non sola sustentatione, sed vel maximè privilegiis, honoribus, quibus Beneficiati gaudent, compenset Ecclesia.

3. An Clericus degradatus, excommunicatus, aut alteri censuræ Ecclesiasticæ obnoxius eximatur ab Horis?
4. Neg. Dum commode legere potest: nemo enim comodum sentit ex delicto.

4. Quæ-

4. Quænam Horarum omissio est mortale peccatum?
5. Hoc pendere à timorati iudicio, quæ pars sit notabilis. Cæterum in praxi videtur, quod omissio unius Horæ minoris, putat Terræ, sit grave peccatum; est enim pars notabilis, & integralis totius officii.
5. An Beneficiati, qui Horas legere negligunt, ad restitutionem teneantur?
5. Aff. Ita ut Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii, & temporis non faciant suos, ita Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi Concilio &c.*
6. An possint horæ legi tempore Sacri obligantiss?
5. Aff. Quia si obligatus ad Horas sub Sacro obligante legeret Rosarium, vel preces omnino liberas, satisfaceret; ergo similiter. Nec refert, quod obligatio ad Horas distinguatur ab obligatione ad Missam, quia in promptu est, quod dupli obligationi sæpè satisfrat per unam actionem, ut si Dies Festus incidat in Diem Dominicum &c. Hoc tamen intelligi debet, dum aliunde nihil obstat, quale quid est, dum duæ sunt rationes formales distinctæ, propter quas diversimodè ad aliquam actionem tenemur; sic si alicui pro pœnitentia injungatur Psalmus: *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, non satisfacit legendo Completorium, sed tenetur insuper extra Completorium psalmum illum persolvere, quia ratio formalis obligationis Officii Canonici est omnino di-

118 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

versa à ratione formalis pœnitentiæ Sacra-
mentaloris.

7. An qui non potest persolvere totum Officium,
teneatur ad partem?

8. Pro his, & similibus hanc observa regulam:
Quando obligatio legis est individua, & proxi-
ma legislatoris intentio, & substantia præcepti
non reperitur in partiali legis observantia,
tunc, si non possit impleri lex tota, non est
obligatio ad partem illius. Sic jussus proficisci
Romam, nec valens ultra Coloniam pergere,
à tota obligatione eximitur. At verò dum
obligatio legis est dividua, & in partiali ob-
servantia reperitur præcepti substantia, vel
intentio legislatoris proxima, dicendum est
à contrario. Sic qui non posset jejunare per
quinque priores Quadragesimæ septimanas,
posset tamen per hebdomadam sanctam, te-
neretur isto tempore jejunare. Ita similiter,
qui non potest integrè legere nisi unam Ho-
ram, tenetur ad illam, licet alias non possit
legere, quia obligatio Horarum est dividua,
& proxima legislatoris intentio reperitur in
qualibet parte integrali.

8. An quilibet pro suo libitu possit mutare Offi-
cium pro Officio?

8. Neg. Et sæpiissimè grave peccatum est, ut si
Officium mutetur in aliud notabiliter brevius.

9. Quæ sunt causæ excusantes à lectione Horarum?

8. In primis hæc peti possunt ex regulis generali-
bus, quæ ab observatione legis humanæ excu-
sant.

sant. Deinde in particulari excusat *gravis infirmitas*, vel *periculum* in eam incidendi. *Dispensatio Pontificis. Defectus Breviarii*, nisi *Officium*, vel pars integralis teneatur *memoriâ*. *Necessitas præstandi Officia charitatis*, vel *talis occupatio*, *qua sine gravi scandalo postponi nequit*.

CAPUT II.

De voto, ejus commutatione, & irritatione.

§. I. *De Voti natura, &c.*

VO tum est, *Promissio deliberatè, ac spontanè*
Deo facta de meliori bono possibili. Quælibet
particula definitionis benè attendatur.

Collige 1. Materiam voti non posse esse ali-
quid illicitum, utpote ad quod obligari non pos-
sumus. 2. Opus præceptum cadere posse sub vo-
to, nam hoc opus Deo gratius est, quam ejus
oppositum; contrà, opus indifferens non esse
materiam voti, quia non est Deo gratius, quam
ejus oppositum. 3. Votum de vitandis toto vitæ
decursu omnibus peccatis venialibus collectivè
sumptis etiam esse nullum, quia est de re mora-
liter impossibili.

Votum aliud est *absolutum*, aliud *conditiona-
tum*. Aliud *expressum*, aliud *tacitum*, seu *virtuale*.

Dividitur etiam in *reale*, *personale*, & *mixtum*.
Reale dicitur, quod est de re, vel actione per
alium exercenda. *Personale* est, quod fit de actione
per ipsum voyentem exercenda, ut votum

120 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

jejunii &c. *Mixtum*, quod est de actione utriusque generis, ut votum dandi eleemosynam, simul & ingrediendi Religionem.

Obligatio Voti ex suo genere gravis est, adeò ut prævaricatio ejus tantum excusetur à mortali propter inadvertentiam, aut levitatem materiæ; ratio est, quia ex genere promissio obligat sub gravi, ergo & votum.

1. An valeat votum cum animo illud prævaricandi emissum?

Res. Aff. *Æquè*, ac contractus animo defraudandi, seu contractum violandi initus, quia hæc duo stant simul, velle se obligare, & velle obligationem fraudare.

Irratio voti est, *ejus annihilation facta per illum, à cuius voluntate voti valor dependet.*

2. Quinam possunt vota irritare, & quorum?

Res. 1. Dum aliquis est sub alterius jure, & potestate dominativa, & quasi dominativa, tunc vota illius possunt irritari ab habente talem potestatem. 2. Idem est de votis, quæ possunt præjudicare decenti, ac liberæ administrationi familiæ. Hinc maritus potest irritare vota uxoris, quatenus sunt impeditiva officiorum conjugalium &c. 3. Idem potest dominus respectu votorum sui mancipii, quatenus impediunt obsequia debita. 4. Idem potest superior respectu votorum subditi religiosi propter omnimodam ab eo dependentiam: excipitur tamen votum ingressus Religionis arctioris, à jure permissi.

3. An

3. An Superior possit propria vota irritare?
 R. Neg. Etiamsi in simili materia suorum subditorum vota possit cassare, quia est Superior alterius, non sui.
4. An sit in potestate mariti irritare votum continentiae sponte, & propriâ authoritate ab uxore emissum?
 R. Neg. Quia maritus per hoc non patitur præjudicium: quamvis enim uxor post tale votum non possit petere debitum conjugale, tamen eo non obstante adhuc teneretur reddere, & per hoc satisfacit marito, quippe qui non habet jus, nisi ut petat.
5. An, & quomodo vota puberum, aut impuberum possint à parentibus, vel tutoribus irritari?
 R. Vota impuberum posse irritari constat Can. *Mulier Causa 32. q. 2.* & *Can. Puella Causa 20. q. 2.* Illa ipsorum dependentia à jure sancta est, quia in ista ætate præsumuntur carere maturitate judicii, ita ut propterea parentes vel tutores possint contradicere.

Si tamen impubes ante annos pubertatis votum emiserit, & jam pubes factus votum ratificet, non quidem ex errore, quo putabat se obligatum, sed absolutè, & ex certa scientia, tunc votum non potest amplius irritari, quia pubes, sicut ad vovendum, ita ad ratificandum, quod anteà vovit, sui juris est.

Quod attinet ad votum puberum, illa etenim subjacent patriæ potestati, quatenus impediunt regimen familiæ, vel aliquid paternæ

H 5 de-

¶ 22 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

derogant potestati, ut sunt vota peregrinatio-
nis, item vota de re præstanda, cuius admi-
nistratio non competit puberi, independenter
ab iis, quibus subest.

Pro intelligentia terminorum jam à nobis
in hac materia usurpatorum, minorennes in
jure vocatur, qui nondum implevit annum
ætatis 25. Pubes verò, qui absolvit annum 14,
si sit masculus, vel duodecimum, si femella:
ex quo à contrario patet, quis ex utroque sexu
vocetur impubes.

Commutatio voti est, *alterius operis, in locum
illius, quod vovimus, sub eadem obligatione
subrogatio.* Hoc autem fit substituendo vel opus
melius, vel Deo gratius, vel minus, vel æquale.

6. An vovens teneatur ad primum votum redire,
quando commutatione factâ, & acceptatâ,
opus subrogatum sit impossibile?

¶. Neg. Quia commutatio sustulit obligationem
prioris voti.

7. Quid requiritur, ut votum commutetur in
opus minus?

¶. Justa causa, & authoritas, quia est inchoata
quædam in voto dispensatio, proindè non re-
quiritur tanta causa ad commutandum, quam
ad dispensandum in voto.

8. Casu quo Pontifex commutet aliquod votum
sibi reservatum, an possit illud rursum in aliud
comutari per Episcopum, vel alium habentem
authoritatem comutandi vota non reservata?

¶. Plausibiliter aff. Quia obligatio voti trans-
lata

lata est ad aliam materiam à reservatione libera-
ram, & est veluti novum votum alterius ra-
tionis; quam ob causam poterit etiam in eo
per Episcopum dispensari.

§. 2. *De Dispensatione.*

Dispensare in voto propriè est, *Obligationem voti vice, & nomine Dei relaxare*: proinde dispensatio in voto sine causa concessa, non tan-
tum est illicita, sed etiam invalida; nam Deus non censetur consentire in relaxationem sui ju-
ris, seu obligationis voti erga se contractæ sine
causa. Proinde

In voto dispensans consideret honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ, vel voventis &c. Similes causæ requiruntur, & sufficiunt ad dispensandum. Quia verò sæpè non constat de causæ sufficientia, dispensationi prudenter miscetur commutatio loco voti, V. G. castitatis imponendo jejunium, eleemosynam &c. juxta voventis statum.

1. Quam facultatem dispensandi concedunt au-
thores Confessariis Ordinum mendicantium?
2. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 13. num. 108. Confes-
sores, inquit, Ordinum mendicantium pos-
sunt ex privilegio Pontificis dispensare in
omnibus votis, in quibus possunt Episcopi,
(sc. jure ordinario) excepto voto peregrina-
tionis ultra duas dietas, id est 40. milliaria Ita-
lica, ut patet ex Compendio privilegiorum
FF. Minorum num. 115. quorum Privilegia
cum reliquis Ordinibus mendicantium com-
municantur &c.

Ne

124 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Ne quis tamen Religiosus inferior remere, sine consensu Superiorum, dispensationibus se ingerat.

2. In quibus votis jure ordinario dispensant Episcopi?

¶. In omnibus, exceptis his quinque Pontifici reservatis, excepto voto castitatis perpetuæ, voto Religionis approbatæ, voto peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, & ad terram Sanctam.

Collige 1. Quod Episcopus possit dispensare in voto suscipiendi Ordines Sacros. 2. Quod possit dispensare in votis castitatis ad 10. V. G. annos emissis. 3. Quod Episcopus possit dispensare in voto facto sub disjunctione in materia reservata, vel non reservata, quamdiu res est integra, V. G. si quis sic voverit: Ibo Compostellam, vel eleemosynam erogabo 300. florenorum &c. quia tale votum non est in materia absolute reservata.

3. An habens potestatem delegatam dispensandi in votis, habeat eamdem in juramentis?

¶. Neg. Quia vota & juramenta sunt obligacionis disparatae.

C A P U T I I I.

De Juramento.

Quia homo homini sœpè lupus propter frigidum illud, teste S. Greg. verbum, *meum est tuum, & sœpè mentitur iniquitas sibi, juramentum*

tum

tum est inventum ad fidem faciendam, & definitur: *Invocatio Divini testimonii ad faciendam fidem, vel promissionem firmandam.*

Juramentum communiter dividitur in assertorium, & promissorium. *Assertorium* adhibetur ad firmanda præsentia, vel præterita; *promissorium*, ad confirmanda futura.

Utrumque dividitur in *explicitum*, & *implicitum*. *Explicitum* est, quando Divinum nomen invocatur apertè, V.G. *testor Deum &c.* *Implicitum* verò, dum Divinum testimonium invocatur tantum latenter, V.G. jurando per creaturas, quatenus Deus in eis præsideret, & relucet, ut *juro per Cœlum, per Evangelia &c.* Sed ut hoc sit juramentum, debet adesse intentio invocandi Divinum testimonium, quia si hæc intentio desit, non est juramentum, ut fit, dum quis dicit: *In conscientia, in fide Sacerdotii, Deus ista sciāt, videat &c.* licet similes formæ sæpè sint scandalosæ.

Dividitur etiam juramentum in *solemne*, & non *solemne*. *Solemne* est, quod publicâ quâdam solemnitate profertur, V. G. per contactum Evangelii, vel coram Notario, & testibus: si hoc fiat coram judice in processibus, dicitur *judiciale*; si coram Superiore sine respectu ad lites, *extrajudiciale*.

Juramentum non *solemne*, seu *simplex* est, quod caret solemnitatibus prædictis.

Juramentum etiam communiter dividitur in *contestatorium*, quod fit per nudam invocationem Divini testimonii, ut, *Deum testor.*

126 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

In *execratorium*, dum Deus invocatur simul ut testis, & vindex: ut *male dispeream*, si &c.

In *comminatorium*, quo pœnam alicui minamur &c.

1. Qui sunt juramenti comites?

2. *Verbis Innoc. III. Cap. Etsi Christus, De jure jurando: Ad juramentum non debet quemque spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahere importuna, Et tunc potest sine culpa jurare, dummodo illos tres comites habeat, de quibus Prophetæ ait Jeremias 4. Et jurabunt, vivit Dominus in VERITATE, ET JUDICIO, ET JUSTITIA.*

Veritas requirit, ut jurans existimet, rem certò se habere, sicut jurat.

Judicium, ut juret cum discretione, id est, non præcipitanter, sed deliberatè, non leviter, sed ex causa rationabili, necessitate, aut pia utilitate.

Justitia, ut juramentum nulli noceat, si que de re licita, & honesta.

2. Quale peccatum est juramentum de re illicita?

2. *Est peccatum mortale, etiam si juramentum sit de materia levi, quia Divinam authoritatem adhibere, ad agendum contra legem, continet gravem irreverentiam erga Divinum nomen.*

3. An juramentum fictè, id est, absque animo jurandi præstitum, sit peccatum mortale?

2. *Aff. Tum intra, tum extra judicium; quia sic ludibrio exponitur Divinum nomen &c. Insuper considerari possunt damna obvenire*

nata

nata tum privatis, tum rebus publicis. Meritò proinde Innoc. XI. damnavit hunc articulum ordine 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

4. *An autigæ, nautæ, similesve jurantes excusentur, titulo consuetudinis, à peccato?*

¶. Neg. Per se loquendo, non magis quām excusat consuetudo furandi, &c. Unde consuetudo coram Deo magis aggravat, propter majorem inclinationem ad jurandum cum irreverentia, vel ejus periculo, & quidem sæpè gravi, quia tales non solent discutere veritatem sui dicti, vel honestatem materiæ. Talis autem consuetudo est mortaliter peccaminosa, mortaliterque peccant toties, quoties illo modo cum advertentia jurant.

Aliter dicendum, dum propter consuetudinem non advertunt se jurare, & consuetudo non est amplius ipsis voluntaria, putà, quia per contritionem, & pœnitentiam retractata, ipsisque jam efficaciter displicet, ita ut si interrogarentur, an vellent more pristino jurare, in conscientia negativè responderent.

R E M E D I A

Ad extirpandam pravam jurandi consuetudinem.

HÆc suppeditat Os aureum hom. 5. ad populum Antioch. his verbis: *Vis discere, quomodo ab hac impiæ consuetudine jurandi liberari possis?*

128 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

possis? Ego te quemdam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cum videris te ipsum, vel quemquam servorum, vel filiorum, vel uxorum hoc malo captos, & sepius commonefactos, nec tamen correctos, jube incœnatos cubare &c.

Aliud medium dat hom. ad baptizandos: Ab omnibus id postula, hoc pete beneficium, ut te jurarem arguant, & confundant.

Quia hæc difficilius forsan practicari possent, divitibus consuetudinem jurandi habentibus Confessarius imponet per vices singulas, ut num-
mum porrigant pauperi: illi verò, si consuetudine jurandi implicitus sit, certas preces, in initio breviores, nè obruatur, vel tonsionem pectoris, actum doloris, &c. mox post juramentum emissum eliciendi &c. nec dubito, quin con-
suetudo abrumpetur.

5. Quibus modis cessat obligatio juramenti?

R. Variis. 1. Per mutationem materiæ, ut si ma-
teria juramenti fiat illicita, vel impossibilis,
aut impeditiva majoris boni; si tamen juramen-
tum non sit præstitum in favorem alterius,
nisi ille suo juri renuntiet. 2. Per dispen-
sationem. 3. Per commutationem. 4. Per
irritationem. 5. Per hoc, quod conditio tacite,
vel expressè posita non impleatur.

Quoad dispensationem notate ex D.T. 2.2.
q.89. a.9.ad 1. non posse à quoquam dispensari in
juramento, (idem est de voto) quasi verò detur
facultas agendi contrà juramentum, nam obser-
vantia juramenti est juris naturalis indispen-
sabilis;

fabilis : hinc nemo potest efficere, ut liceat irreverentiam Deo irrogare, quod sit per transgressionem juramenti. Similiter nec dispensatio in voto tribuit facultatem agendi contra obligationem voti, propter immutabilitatem legis Divinæ, & naturalis, quæ infidelitatem in exercitione promissi Deo facti prorsus inhibet. Fit ergo dispensatio juramenti per hoc, quod superior auferat materiam juramenti. Hinc S. T. ibid. *Ad hoc se extendit dispensatio juramenti, ut id, quod sub juramento cadebat, sub juramento non cedat, quasi non existens debita materia juramenti.* Ex hoc collige, non posse dispensari, nisi in juramento promissorio, quia juramentum merè assertorium, cum sit de præsenti, vel præterito, versatur circa materiam immutabilem, & materia juramenti promissorii, utpote de fututo, varietatibus subjacet.

De irritatione, commutatione &c. juramentorum ut de voto, pariformiter est discurrendum.

C A S U S I.

Quid faciendum cum pœnitente, qui dicit, se aliquoties jurasse, & mala aliis imprecatum fuisse?

R. Petendum, quid intelligat per jurare, nisi Confessarius cognoscat pœnitentem quoad hoc sufficienter instructum esse : vulgus enim per jurare, non tantum intelligit Deum in testem invocare, sed sub jurare comprehendit etiam execrari, detestari, imprecari, & dicens aliquem

I

de-

130 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS

devovere. 1. Ergo de imprecantibus agendum, & petendum 1. Num aliis verè, deliberatè, & præmeditatè illud malum voluerint? An fecerint ex gravi passione, vel in toto, vel in parte obnubilante rationem? &c. Si deliberatè, 2. Quot diversis personis, sive simul, sive successivè similia mala imprecati fuerint? Quia tot sunt diversa numero peccata. 3. Quibus imprecati sint? An parentibus? An suis liberis? An uxori? &c. 4. An aliis per illas imprecationes non fuerint scandalio? Quot, & quoties? 5. An eos, quibus mala imprecati sunt, ad gravem iram, & odium non irritaverint? &c. 6. Quàm diu odium erga talem personam duraverit? 7. Inquirenda causa odii, & vel sic radix totius mali amputanda. Hinc inquitendum, an alter, cui ipse est offensus, dederit causam iræ, & offensionis? Si ita, hortandus est, ut exemplo Christi inimico sese sponte conciliet, ostendens, quàm heroinum charitatis actum Deo, & toti cœlo gratissimum præstet. Si autem causam non dederit alter, pœnitens necessariò inducendus ad veniam petendam, si sinè gravissimo suo incommodo possit, & ad patrem amicitiam, cum altero ineundam, ad quod omnino tenetur.

Si deprehendat Confessarius, pœnitentem verè jurasse, attendendum: 1. An nulla ex tribus conditionibus defuerit? 2. An scienter planè falsum juraverit? An verò dubitans de veritate alicujus asseveranter tamquàm certum juraverit? 3. An illud juramentum non fuerit simul execra-

torium? Si ita, ultra malitiam sacrilegii continet etiam malitiam contra charitatem sui, vel aliorum. 4. An juramentum falsum non cedat in damnum tertii? Tunc enim obligandus est ad restitutionem; si autem inveniantur laborare consuetudine vel jurandi, vel imprecandi, tum cum illis procedendum, ut postea de consuetudinariis docebimus.

CASUS II.

Cornelius Diaconus à Catholico Episcopo ad S. Presbyteratus ordinem promoveri non potest, nisi præviè abjuraret quinque famosas Propositiones ex libro Jansenii decerptas; angitur, putatque hoc sibi illicitum, vel quia propositiones præfatas credit catholicas, vel quia negat eas in præfato libro contineri. Interim Cornelius subornatur à nonnullis, ut nimis cum restrictione purè mentali, id est, exterius sive interiori consensu abjuraret, atque ita ad Sacerdotium posset promoveri. Queritur 1. An peccavit mortaliiter? 2. An perjurii reus fuerit?

R. Ad utrumque aff. Quia restrictiones illæ mendacia sunt, adeoque vera perjuria talia juramenta: Hinc meritò damnavit Innocen. XI. hanc ordine 26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intrâ se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

Item damnavit hanc 27. Causa justa utendi his

amphibolius est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad alium quemquam virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, studiosa.

C A P U T I V.

De vitiis Religioni oppositis.

§. 1. Quid irreligiositas, & quotuplex?

Irreligiositas, quæ est vitium deficiens in cultu Deo debito, communiter definitur: *Contemptus, aut irreverentia Dei, rerumque sacrarum.*

Sub rebus sacris continentur loca sacra, V. G. templa, monasteria, &c. personæ, ut Sacerdotes, Ecclesiæ ministri, Religiosi, & Religiosæ. Item vasa sacra, Sacra menta, &c.

Irreligiositas varias habet species, nempe *tentationem Dei, blasphemiam, sacrilegium, perjurium, voti violationem, & simoniam.*

Tentatio Dei, sumpta, non pro incitatione ad malum, ut Christum tentavit Satanus in deserto, sed pro dicto, vel facto, quo experimentum de Divina aliqua perfectione capere volumus sine justa causa, & extra leges Dei ordinarias, gravissimum secundum se est peccatum.

Secunda species irreligiositatis est, *sacrilegium*, communiter descriptum: *Rei sacrae violatione seu indigna tractatio.* Continet irreverentiam in Deum, quatenus violatur res, quæ cultui ipsius dicata est.

S.

Sacrilegium aliud est ratione personæ violata, ut percussio Clerici, lapsus carnis personæ Deo per votum castitatis consecratæ.

Aliud ratione violati loci, ut spoliatio Templi. Aliud ratione rei violata, ut violatio Sacramentorum, Reliquiarum, Festorum, per opera servilia, Scripturæ Sacrae, detorquendo eam in sensus falsos, abutendo eam in negotiis scurrilibus &c. cui Sacrilegio facile cooperantur illi, qui lectionem Bibliorum sive discretionem plebi suadent, aut permittunt.

Tertia species blasphemia, quæ est *injuriosa in Deum locutio, mediata, vel immediate facta.*

Dicitur mediata, quia & blasphemia est injuriosa loqui contra Sanctos, aliasve creaturas V. G. eorum reliquias &c. quatenus Deus in eis relucet specialiter, in sua sc. potentia.

Quarta species est perjurium. 5. Voti violatio, quarum malitia abunde colligi potest ex his, quæ dicta sunt de voto, & juramento.

6. Simonia, de qua

§. 2. *Quid, & quotuplex Simonia?*

Simonia à Simone mago nomen accepit, qui primus in nova lege hanc legitur commisso, dum potestatem conferendi Spiritum S. comparare volebat, ut refertur Act. 8.

Communiter definitur: *Studioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, ane spirituali annexum.*

Voluntas studioſa idem est, quod *deliberata*.

134 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Nomine *emptionis*, aut *venditionis* intelligitur **omnis** contractus non gratuitus, sive hoc fiat per *enuntiationem*, sive per *elocationem*, sive per *rigorosam* *emptionem*, seu *venditionem*.

Retum spiritualium tria sunt genera: Aliqua sunt spiritualia *secundum* se, ut Deus, Eucharistia, character Sacramentalis &c. Alia sunt spiritualia *causaliter*, ut Sacraenta, Sacramentalia, conciones: alia denique sunt *supernaturalia* tamquam effectus à potestate spirituali procedentes, ut dispensatio in votis, exorcisatio, consecratio Ecclesiarum, administratio Sacramentorum.

In definitione dicitur: *Vel* spirituali annexum, quia potest committi simonia per venditionem rei temporalis, si hæc ex spirituali sequatur, ut paret in emptione juris ad fructus Ecclesiasticos.

Simonia dividitur in realem, mentalem, & conventionalem.

Realis est, *Dum simoniaca pactio utrimque, id est, tam ex parte dantis, quam accipientis completa est, saltem inchoativè*, V. G. dum facta est conventio de resignando beneficio sub certa pecunia summa.

Simonia mentalis est, *Dum res spiritualis datur animo alterum ad aliquid rependum, vel è contrario aliquid datur animo alterum obligandi, ad rem spiritualem rependendam, quamvis interim nulla fiat pactio.*

Simonia conventionalis est, *Conventio simoniaca exterius facta, & dicitur purè talis, dum nulla*

nulla est facta traditio, alias miscetur aliquid de reali, & vocatur, *conventionalis mixta*.

Ad conventionalem mixtam revocari solet simonia confidentiae, in eo consistens, *Quodk aliquis conferens, vel resignans beneficium obliget alterum, ut sibi, vel alteri V. G. suo nepoti postea resignet, fructusque, vel pensionem præstet.*

1. Quid nomine pretii intelligitur in definitione?
2. Omne munus pecunia æstimabile, quod solet trifariam dividi, in munus à manu, lingua, & obsequio.

Munus à manu, est V. G. pecunia, gemma, catena aurea &c.

Munus à lingua, est laus, adulatio, blanditia, manicæ fricatio, quam aliqui humanitatis elogio excusant, vituperium inimici in gratiam amici, patrocinium advocati.

Munus ab obsequio est V. G. obsequium famuli &c.

Sequitur, quod sit simonia pacisci de dando, vel acceptando beneficio in remunerationem patrocinii advocandi, vel præstandi obsequii in famulatu.

2. An numquam liceat rem temporalem spirituali annexam vendere?
3. 1. Res temporalis spirituali *consequenter* annexa, hoc est, à spirituali dependens, & immediatè ex re spirituali proveniens, non potest vendi pretio temporali, ut est V. G. jus ad fructus ex beneficio percipiendos, quia non potest intelligi, quomodo illud jus vendere-

tur, nisi simul vendatur & illud, ex quo illud jus immediatè profluit. Pari ratione vendere non licet laborem, qui sacræ functioni *intrinsecus* est, ut est necessarius labor ad administra Sacra menta &c. at si labor actioni sacræ extrinsecus sit, ut V.G. iter unius dici, plurimumè ad habendam concessionem in aliquo loco diffito &c. is labor, uti pretio temporali æstimari potest, ita etiam vendi.

¶. 2. Si res temporalis annexatur spirituali *antecedenter*, id est, quod temporale naturâ sit prius spirituali, & independens ab illa, ut sunt Vasa Sacra, jus patronatus laici &c. seclusâ prohibitione Ecclesiæ, illa possunt licetè vendi, modò ipsarum pretium non augeatur propter connectionem cum re spirituali: materiam præsentem, & ea omnia, quæ hanc concernunt, per casus oculis vestris objiciemus.

C A S U S III.

Cajus à Sempronio habente patronatum laicum, vel Ecclesiasticum pretendit beneficium: additque unam ex his, vel omnes clausulas: Nec volo, nec possum quidquam promittere, si tamen placeret istud beneficium omnino gratis mihi conferre, non ero ingratus: non patiar ab amicis me vinci benevolentiâ: faciam, quod viri honesti in simili casu facere consueverunt, esto securus, &c. Quaritur, an simoniæ conferatur, & pretendatur beneficium?

¶. 1. Facile convinci simoniæ collatorem, si collator, quod assolet, pecunia cupidus circa qualitatem personæ inquirat, an dives sit, ut possit,

It, an liberalis, ut velit largè remunerari, parum sollicitus, si à doctrina, & moribus commendabilis.

¶. 2. Et ipse postulans videtur simoniacus: ut quid enim illæ promissiones, ut quid protestatio honesti viri, commendatio gratitudinis? &c. Vel cœcus viderit, ibi animum esse alliciendi ad collationem beneficii per munera, si non in re, saltem in spe, quod clarissimè convincitur, si postulans, vel alter ipsius nomine ponat vadem, alliget se temporis &c.

C A S U S IV.

Petrus habet equum elegantem, quem novit futurum gratum Paulo, vel gemmam uxori Pauli non displicentem; equum illum, vel gemmam offert collatoribus beneficii Paulo, vel uxori, postea a Paulus beneficium confert Petro: an simoniacè datus equus, & collatum beneficium?

¶. Si principaliter intenderit Petrus equum dare &c. ob beneficium, & Paulus beneficium ob equum &c. uterque est simoniacus, eoque gravius est peccatum, quò res temporalis est vilius; quia eò injuriosius tractatur res sacra super omne pretium posita.

Quia verò contingit, quòd dans munus plane dives sit, & liberalis, & soleat similia donare, imò & majora sive affectu retributionis, & similiter, cui datur, sit dives, nec facile ob aliquod munus pervertatur &c. contingere potest, ut nec dans munus, nec conferens beneficium sint simoniaci. Attendite, quid de simili casu dicat Alexander III. cap. *Etsi. De simonia, ad Strigoniensem*

Archiepiscopum: In hoc itaque quod presbyter Cardinalis Apostolicae Sedis Legatus pro electione tua, ut pallium tibi traderet, ad partes illas accessit, Et frater tuus, presciens necessitatem, ei equum, te ignorantem, transmisit. . . . Te nullo modo timere oportet, cum in accipiendo, vel dandis muneras tria sint attendenda, persona scilicet dantis, vel accipientis qualitas, quantitas muneris, Et donationis tempus. Qualitas personarum, ut a quo, Et cui, videlicet vel a paupere diviti, vel a converso, sive a divite locupleti datum fuerit. Aestimatio muneris, Et donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data existat, Et an instanti necessitase, seu alio tempore res conferatur: si ergo predicatorum Cardinalis, Et fratrii tui personam, Et qualitatem pensamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali unum equum transmitti, quem Et joculatori non potenti vir tantus, Et tam abundans forte donaret. Verum si temporis necessitatem perpendimus, non alia intentione constat factum fuisse, quam ut Cardinali subveniretur per mare venienti. Quod autem scriptum est, beatus qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quae accipientis animum allucere, vel pervertere solent: quoniam si illa persona etiam electi offerat Ordinatori, vel Consecratori suo electuarium vel de vino, sive de aliis huiusmodi, quae modici pretii fuerint, Et quae voluntatem recipientis movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.

CA-

CASUS V.

Petrus, & Paulus litigant de beneficio, vel simul concurrunt pretendendo idem: Petrus dat Paulo mille V.G. ut desistat à lite, ut cesseret à sollicitatione &c. Quæritur, an simoniacè?

R. Regulariter aff. Quando fit privatâ partium conventione, quia sâpè contingit, Paulum habere verum jus, quod emit Petrus dando mille: Paulus æquè sâpè est capax, quâm Petrus: Hinc cùm sub Alexandro III. cap. de transactionibus quæstio proposita esset, an etiam de Ecclesiastico beneficio in litigium deducto posset fieri translatione, tale responsum damus, aiebat Pontifex: *Quod transigi super re sacra, & litigiosa non possit; res etenim sacra ut possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem credimus habere simoniae.*

In resolutione posui: *Quando fit privatâ partium conventione, quia de Episcopi, vel Pontificis consensu licet se liberare à vexa, quod clarè docet S. Carolus Bor. in Conciliis Mediolanensibus tit. de simonia, ubi resolvit: Nemini licere, ad redimendam vexationem, pecuniam dare, quidquamve pacisci, nisi Episcopi consensus accesserit, cuius partes erunt prospicere diligenter, an subsit aliqua fraus: ubi verò rem fraude carere, & jure permissam cognoverit, non denegare ei, qui petierit facultatem, se à vexatione liberandi. Ex his*

Collige, quòd non sint simoniacæ emptiones, ut vulgò dicuntur, Canonicatum Traiectensium V. G. quia Catholici Sacerdotes de Pontificis con-

140 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.
consensu non volunt illos emere, sed ab iniquis
hæreticorum vexatione Ecclesiam liberare; nam
nisi summa pecuniaria daretur à Catholicis, in-
truderentur hæretici.

C A S U S VI.

Ioannes cum Antonio permuat beneficium, V.G. Canonicatum cum cura parochiæ Ec. datâ aliquâ summâ; item Jacobus resignat Andrea Canonicatum servatâ pensione, id est, jure ad certam partem fructuum annuè, vel in ejus redemptions datâ aliquâ summâ notabili Ec. titulus utrumque accedit, majus commune bonum, major Ecclesiae utilitas Ec. Quæritur, an simoniace?

R. Si similia fiant absolutè, & privatâ contrahentium authoritate, simoniaca sunt, ut constat ex Cap. quæsum, de rerum permutatione. Et Cap. ult. de pactis, ubi manifestè omnes conventiones propriâ authoritate factæ dicuntur simoniacæ.

Dixi: *Si absolutè, Ec. privatâ authoritate Ec. quia si inter se quidem contrahant, dependenter tamen à Superiorum consensu, ita ut contractus ex intentione contrahentium valorem non sit obtenturus, nisi superior consentiat, simonia non est, sed tantum præparatio ad faciendam permutationem, resignationem &c.*

Advertendum tamen i. quod titulus permundi, resignandi &c. debeat esse justus, & sincerus, non fictus, nec resignation fieri possit cum clausula restringente ad hanc, vel illam personam, privatâ authoritate, nec pensio, vel summa alia

alia exigatur, aut statuatur vi beneficii, sed alio titulo V. G. vi compensationis, majoris laboris in administratione unius beneficii, quam in administratione alterius.

Advertendum 2. quod hic sub specie pietatis, utilitatis Ecclesiasticæ &c. sèpè interludat affectus avaritiæ, inhiantis lucro potius, & pingui præbendæ, quam animarum saluti. Patet id: quot sunt enim, qui laboriosius, sed minus utile assument beneficium, relicto commodiori, & pinguiori, ut Ecclesiæ subveniant?

C A S U S VII.

Petrus Canonicus resolvit hodie non frequentare chorum: Paulus presbyter non legere sacram: Petrus audit interim duplicari hodie distributionem: Paulus occasione anniversarii Ec. accipit intentiōnem medii imperialis. Petrus ad chorū, Paulus ad sacram properant. Queritur, an simoniacè?

R. Aff. Si sint motiva principaliter impellentia, prout ordinariè fit in simili rerum statu, quia censentur pluris facere rem temporalem, quam spiritualem. Potest tamen fieri, ut simoniaci non sint, V. G. si occasione illius mutent affectum, ut, qui antè in Divino cultu negligentes, jam corporem exutiant, primariò inducti ad frequentandum chorū, Sacrum celebrandum ob Dei cultum, secundariò permoti occasione pinguis stipendii.

C A S U S VIII.

Titius Confessarius exponit se publicè confessionibus audiendis, considerans lucra obvenientia, poten-

359-

142 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

riorum piscatur amicitiam, favores &c. pauperes, & rusticos declinat, & paenitentiis adiunctos à se quasi repellit, divitibus blandus est, obsequia offert, per se, vel suos sollicitat; estne simoniacus?

R. Aff. Si lucrum istud, aestimationem, aut favorem ex administratione Sacramenti principaliiter intendat; convincitur autem principaliter intendere, si ex nulla alia rationabili causa pauperes refugiat, quam titulo paupertatis, sordium &c. vel quia forte arcerentur à Confessionali ditiores. Intentio etiam claret ex diverso modo tractandi divitem, & pauperem, nempè pauperibus austerè, divitibus subblandè nimis, & benignè loquendo.

Si pauperes declinet, quia putat gravioribus peccatis, & ignorantibus involutos, quam divites, potest peccare 1. Iudicio temerario. 2. Exceptione personarum, utpote qui divitibus, multò sèpè plus reis assistit, pauperes negligendo: unde patet parva caritas, magna cupiditas.

Si subterfugiat, quia ignoti sunt, mentitur iniquitas sibi, non enim sic ignotum divitem tractaret.

Conformiter resolve, quid judicandum de Parochis, Confessariis &c. diligentissimè divites, negligentissimè pauperes infirmos visitantibus, ex quorum agendi modo facilè colligitur, non animas, sed pecunias curari.

C A S U S IX.

Capitulum est celebrandum: Unus dicit Paulo: *Elige me Abbatem &c. eligam te Provisorem &c.*

vel emittuntur emissarii presente Paulo, dicentes: Si Petrus sit Abbas, Paulus erit Provisor, &c. Quaeritur, an simoniacè?

RE. Aff. Si siant, ut ordinariè sūnt: quare enī similes propositiones, nisi ut inducant, & inducantur? Ut inducant Paulum ad eligendum Petrum, & per modum compensationis suffragii dati eligatur Paulus &c. Unde licet non sit hīc emptio, vel venditio rei Spiritualis pro temporali, est tamen emptio, & venditio rei Spiritualis pro Spirituali, quod est vetitum: *Gratis enim accepistis, gratis date.*

Adde, quod per similia sāpē misceantur fraudes, violetur caritas, & Provinciæ integræ, Ordines, & Capitula turbentur.

Ex resolutione Casuum sequuntur hæ sex, & certæ quidem

Regulæ, ex quibus dignosci possit, an simonia committatur in collatione
Beneficiorum.

1. **I**ndubitatum est, eum committere simoniam, qui pretium dat, vel accipit pro beneficiorum collatione, resignatione, electione, confirmatione, &c.

2. Qui fundum, cui annexum est jus patronatus Laici, pretio altiori vendit, vel emit, præcisè quia jus illud annexum habet.

3. Qui amico collatoris, electoris, aut præsentatoris pretium, vel aliud munus dat, vel
pro-

144 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

promittit, ut ab eo commendetur, & operâ illius
beneficium acquirat.

4. Qui, pretio accepto, cedit juri dubio, quod
habet ad beneficium, ut si duo litigent.

5. Si Joannes V. G. resignet Beneficium Pau-
lo fratri Catharinæ, ut ipsam recipiat uxorem.

6. Pecunia &c. data pro collatione Beneficii
à parentibus, vel aliis in favorem beneficiati,
ipso, concio facit, ut simoniaci sint & donato-
res, & Beneficiatus.

C A P U T U L T I M U M.

De reliquis irreligiositatis speciebus.

§. I. *De superstitione, & idololatria.*

Supersticio, quæ aliter falsa religio dicitur, est,
Vitium Religioni oppositum, præscribens cultum
divinum ei, cui non competit; vel ipsi Deo aliter,
quam competit.

Dum Cultus Deo debitus transfertur ad alium,
dicitur supersticio falsi numinis, seu idololatria.

Dum indebitus, & illegitimus Deo vero offeritur,
vocatur supersticio cultus incongrui: ut si quis
verum Deum jam sacrificiis, & cæremoniis Ju-
daicis colat.

Idololatria est, Supersticio falsi numinis, quæ
divinareverentia exhibetur creature.

Divinatio est, Indebitarerum occultarum, quæ
humanitùs sciri non possunt, inquisitio, vel enuntia-
cio, recurrendo sc. ad auxilium dæmonis.

Alia fit per expressam dæmonis invocationem,
seu solemnem, alia per privatam.

Se

Solemnis est, quando ab ipso comparente ad instar *Principis* cum *Satellito* &c. aliquid postulatur: *Privata* est, quando à demone quidem expressè petit, sed refugit aspectum illum terribilem, adeoque per magum, aut demoni sub privati alicujus *figuralibellum* supplicem offert. *Varia* sortitur nomina, prout diversimodè consulitur dæmon.

Alia fit per invocationem dæmonis implicatam, *Dum sc. utimur mediis, quæ nec à natura, nec à Deo vim habent rerum occultarum cognitionem ingerendi*: tunc enim cum non exspectetur cognitio virtute naturali mediorum, nec à Deo, necessariò exspectari debet à diabolo, qui vanis, & curiosis hominum indagationibus sese ingere, & res occultas per similia media subinde aperire solet. Hinc

Collige 1. *Graviter sàpè peccare, qui occasione somniorum sibi imaginantur, hodie obveniet mihi infortunium, hodie litigabo &c.*

2. *Qui ex aranea visa in veste, vel pariete, manè colligunt pecuniam accipiendam, vespere infortunium obventurum.*

Divinatio per tacitam dæmonis invocationem varia habet nomina secundùm diversitatem mediorum, quæ adhibentur. Præcipua divinationis species inter cæteras est *sortilegium*, seu divinatio per sortes, quando aliquid ex actione hominis conjicitur.

Sortes sunt triples; *divinatoriæ, divisoriæ, & consultoriæ.*

Divinatoriæ sunt, quibus ex certo motu rei nom

146 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

connexa certum elicetur iudicium facti, aut alicuius futuri, ut sit V. G. per pelvum, plumbum liquatum aquæ infusum.

Consultoria sunt, quibus consilium Divinum expositur ad sciendum, quid in re obscura agendum. Tales Dei temptationem continent, & non nisi propter instinctum Divinum, aut necessitatem in re summa ardua, deficiente humano consilio, cum summa reverentia, & in Deum fiducia permetti queunt.

Divisoria sunt, quibus decernitur, quibus tribuenda sit: tales licetæ per se sunt, V. G. iactus alear, dum ex duobus reis tantum alteruter est occidendus, dum de re indivisibili æqualis utrumque habetur probabilitas.

§. 2. *De vana observantia.*

Vana observantia strictius sumpta est, Supersticio, secundum quam actiones nostras dirigimus, effectum aliquem per media inutilia, quæ vim non habent illum producendi, expectando. V. G. si invulnerabilitatem exspectem, gestando quædam verba scripta, & eadem legendo: si quis mali ominis loco accipiat, quod felem, aut canem primò habeat obvium, & ideo pedem referat.

Quæres, an Joseph in carcere prædicens pinceræ libertatem, pistori patibulum, &c. an Gideon Judicium 7. utens somnio, tamquam signo, quod Madianitas profligaret, usi fuerint vanâ observantiâ?

¶. Neg. Quia similia divinitus inspirata sunt,

ac

ac proinde non peccavit servus Abrahæ Gen. 24.
observans ex dando sibi potu, & camelis, Re-
beccam maritandam esse Isaaco.

Observantia vana varia habet nomina: voca-
tur *ars Notoria*, si aliqua scientia subitò, & absque
labore exspectetur per media nullo modo con-
nexa, per inspectiones figurarum, per enuntia-
tionem certorum verborum &c.

Si exspectetur conservatio sanitatis, invulne-
rabilitas, curatio vulnerum, aut morborum, di-
citur *observantia sanitatum*.

Si aliquid prospeli, vel adversi ex eventu for-
tuito exspectetur, & inde actiones nostras mo-
deremur, dicitur *observantia futurorum even-
tiuum*, ut si quis caveat assidere mensæ, in qua
sunt duodecim, ne sit decimus tertius, putans
ex illo numero unum moritum &c.

§. 3. *De Magia, & beneficio.*

MAgia generatim nil aliud est, quam *ratio*
operandi mira, & insolita. Alia est naturalis,
que absque dæmonis adminiculo operatur mira, est-
que per se licita, licet sit periculosa: alia *super-
stitiosa*, quæ *dæmonis ope mira quedam per certa
signa operatur*.

Si mira operetur tantum ad ostentationem,
vel proprium commodum, aut alienum, vel ad
delectationem &c. dicitur simpliciter *magia*,
V.G. si spectatores suos faciat saltantes magus,
si ex longinquis regionibus, persoluto ibi pre-
tio, subitò accersat vinum &c. Si fiat ad alteri
nocendum, dicitur *maleficium, seu beneficium*.

Est peccatum ex genere suo mortale, utpote continens vel explicitam, vel implicitam dæmonis invocationem, conjungiturque sæpè cum aliis peccatis gravissimis, V. G. idololatria, blasphemia in Deum, vel Sanctos, Dei ejuratione, abuso rerum sacrarum, præsertim Eucharistiæ, nefariis cum ipso dæmone libidinibus, proximi damnificationibus, de quibus sigillatim interrogandus est à Confessario magus, & beneficu.

Observandum, ut bene advertit in libris de Civ. Dei S. P. Aug. quod similia sæpè non fiant in magis, sed dæmon afficiat 1. eorum imaginationem, ac si reverè ita esse translocati, aut mutati sibi videantur, per aliud aliunde corpus adductum.

2. Faschinando oculos videntium, ut putent se videre selem V. G. ubi vident sagam.

3. Circumponendo corpus aliquod aërium, quod eodem modo afficiat nos, ac si adesset talis V. G. persona, tale brutum &c.

1. An liceat amovere signa magica?

Observandum, quod, licet dæmon sit iuratus hominum hostis, & circumeat leonis instar, quærens, quem devoret, Deus tamen non det ipsi immediatè potestatem agendi in nos, saltem ordinariè, sed per homines confratres nostros, ne, dum ipse potentior adversarius vires suas in nos exercet, nimium foret nobis formidabilis, adeoque multi pusillanimes ad ipsum recurrerent, vel se submittendo, vel postulando immunitatem: hinc & per res na-

tu-

urales nocet, V. G. aciculas, crines, stramina &c. quibus semotis juxta Dei ordinationem permissivam nec vult, nec sàpè nocere potest: dat autem hæc signa Dei simia, ferè eodem modo, quo Christus Sacra menta suis, ut scilicet ad positionem similium mirabilia operentur. Ubi illa ponunt, homagium præstandum est per cultum aliquem designatum, quem nisi ponant, verberibus &c. luunt prævaricationem. His dictis

¶. Aff. Tum in odium, & contemptum dæmonis, magicæque superstitionis, tum etiam ut ille dæmonis effectus impediatur, modò id fiat citrà maleficium, & effectus ille à dæmone non exspectetur, quia hoc est merè resistere dæmoni, qui absque signis nocere non solet, aut potest.

2. An liceat à malefico petere dissolutionem maleficii?

¶. Neg. Si petatur, ut maleficium maleficio solvat, quia induceretur ad peccandum. Nec licet etiam, dum non nisi per maleficium solvere potest, licet tamen petere, quando sínè maleficio solvere potest, licet sciam, quòd non sínè maleficio faciet, quia cùm justam causam habeam, nempè depellendi à me mala &c. quibus affligor, permissivè me habeo respectu maleficii, & malitiæ ejus.

C A S U S X.

Quid ager Confessarius, dum habet, divinatores, magos, maleficos sibi confitentes?

150 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Q. Inquirat 1. An habuerint implicitum, an
verò explicitum, & expressum cum dæmone
paetum? 2. De variis superstitionibus, quas
commiserunt, & quoties. 3. An non fuerint
apostatae, hæretici, vel idololatræ? Magi enim,
malefici, & divinatores, præsertim expressum
cum dæmone pactum habentes, sæpè abnegant
Christum, & Deum, dæmonique tanquam Deo,
vel sancto adhærent, renuntiantque consequen-
ter Sacramentis, præcipue Eucharistiæ. 4. Quo-
ties Deum, & Sanctos blasphemaverint, & an
non commiserint sacrilegium, abutendo Eu-
charistiâ, vel aliis rebus sacris, & quoties? 5. An
non commiserint peccata luxuriæ cum dæmone
incubo, vel succubo, & quoties? 6. An non
fecerint aliqua damna proximo, & quale, qui-
bus personis, & quoties? Quia si occiderint cle-
ricos, incurront casum excommunicationis Pon-
tifici reservatum. Et quoniam tales infinitis
peccatis sunt obnoxii, vix omnia Confessarius
petere potest: unde ad illa scrupulosè hærere
non debet, sed magis sollicitus esse, ad illos
ad veram detestationem illorum gravissimorum
scelerum adducendos &c. Insuper iuterrogentur,
an alios docuerint maleficia, & quot? Quia
absolvi non possunt, nisi illos convertant; si verò
illi nolint converti, debet referre ad superiores,
& accusare.

Ut autem Confessarius melius possit remedia
præscribere, per quæ possint vincere illa pec-
cata, petat à pœnitente, cur tali superstitioni &c.

se addixerit? V. G. an ratione vehementis pa-
ssionis, an ratione tristitiae, vindictæ, avaritiae,
aut ad nomen sanctitatis obtinendum &c. Et
tunc remedia proportionata præscribere potest.
Ante absolutionem tamen Confessarius ab eo
exigat, ut renuntiet diabolo, & abjuret omne
pactum, & commercium, quod cum illo ha-
buit, & quod scriptum chyrographum, si quod
à dæmone habeat, igni injiciat, vel Confessario
potius tradat igne combutendum.

Si habeant magi &c. aliquos libros, vel in-
strumenta magica, similiter ea comburant &c.
vel si alicubi posuerint aliqua signa ad nocen-
dum aliis, statim illa auferant, si sine novo ma-
leficio id facere possint, quibus acriter pro-
positis, & executioni mandatis (si nihil obstat)
Confessarius absolvere potest; suadendum au-
tem esset similibus, ut saltem pro aliquo tem-
pore non essent soli, sed, quantum possibile est,
diu noctuque cum aliquo viro pio, nè dæmon
illos iterum seducat. Inculcandum itidem, ut
sæpius redeant ad confessionem, devotè quo-
tidiè Sacro assistant, iteratò repeatant actus fidei,
& sese in omnibus Divinæ authoritati
submittant &c.



TRACTATUS
DE
FURE, ET JUSTITIA.
CAPUT PRIMUM.

*De Justitia, & Jure generatim, Do-
minio Clericorum &c.*

JUSTITIA, prout est virtus particularis, & una ex quatuor Cardinalibus, definitur communiter: *Perpetua, & constans voluntas ius suum cunque tribuendi.*

Justitia dividitur in commutativam & distributivam. Prior est, quæ inter datum, & acceptum, putat mercem, & pretium, spectat aequalitatem. Posterior respicit communitatem, quatenus in illa pro merito distribui facit favores, & onera, attentâ sc. proportione inter res, quæ distribuuntur, & conditione personarum, quas distributio respicit.

Per jus intelligitur, potestas legitima (sive à lege concessa) rem, vel functionem, aut quasi functionem obtainendi.

Famosior juris divisio est, in *jus ad rem, & jus in re.* *Jus ad rem* est, *quod actionem non tribuit in ipsam rem, sed in personam tantum, ut nempè rem illam faciat nostram.* Hoc jus haber pro missarius ad rem promissam, priusquam sit facta traditio. *Jus in re, quod perfectum etiam dici-*

qur,

vir, est illud, quod tribuit actionem in ipsam rem
ubicumque existentem. Hoc habet emptor, dum
res ei tradita est.

*Dominium definitur, ius, vel facultas disponen-
di de rebus tamquam suis, quantum lege permitti-
tur. Dividitur in directum, & utile. Directum est,
quando quis disponere potest de ipsa re, sed non de
illius emolumentis, seu fructibus. Tale habet Prin-
ceps in feuda, quæ alteri collata sunt. Utile seu
indirectum habet ille, qui disponere potest de
emolumentis rei, sed non de illius substantia: tale
habet, qui possidet feuda.*

1. Requiriturne ad dominium facultas dispo-
nendi de re in omnem usum?
2. Neg. Nam pupillus verum habet suarum re-
rum dominium, quas tamen juxta leges alic-
nare uon sinitur.
3. An filiis familias nondum emancipati habeant
dominium?
4. 1. Si sint bona *castreria*, quæ acquirunt ex mi-
litia sacra, vel rogata, ut ex *Beneficio Ecclesia-
stico*, vel *advocatura Eccl.* respectu illorum
habent verum dominium, & liberam dispo-
sitionem.
2. Si bona sint *profectitia*, quæ nempè à Patre
vivo procedunt, vel ratione patris proximè,
& principaliter dantur, horum dominium in-
tegrè penes patrem est.
3. Si bona sint *adventitia*, quæ non à patre,
sed aliundè obveniunt, dominium est penes
filium, communiter tamen administratio est

154 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

penes patrem, sed in his, & similibus, locorum attendenda consuetudo, & filiorum qualitas &c.

Excipiuntur Casus, in quibus & usus fructus penes filios est, & administratio: 1. Si pater isti renuntiet. 2. Si bona filiis relinquuntur, ea lege, ne usus fructus Patri accrescat. 3. Si Pater ob crimen V. G. haeresim usu fructu privatetur.

3. An Religiosi sint capaces dominii?

R. 1. Religiosi in particulari solemnii paupertatis voto obstricti omnis prorsus dominii, & proprietatis rerum temporalium sunt incapaces.

R. 2. Religiosi, qui tantum simplex paupertatis votum emiserunt, ut sunt Patres Societatis ante tertiam professionem, dominium, & proprietatem rerum suarum retinent, verumtamen in dispositione rerum suarum ita dependent à Superiorum arbitrio, ut validè quidem, sed tamen illicite absque eorum consensu de illis disponant.

R. 3. Religiosi quicunque aliquarum rerum jus habent strictum V. G. ad famam, ad electionem tam activam, quam passivam, quia in professione jus ad famam non abdicarunt.

Attendere debent Superiores, quod sub peccato mortali teneantur tueri famam subditorum in materia gravi, non tantum in communi, sed & cuiuslibet in particulari contra quoscunque: proinde Superior audiens adulatores, vel ipse apud altiorem Superiorum inter adulandum seu falsa crimina, seu vera, sed

loc
qua
uctus
pater
ur, eâ
Pater
etur.
rtatis
pro-
ratis
ctatis
pro-
rum
a de-
alidè
rum
n jus
ctio-
ia in
sub
bdi-
om-
ntra
adu-
rem
era,
sed

sed occulta contra charitatis ordinem, nè alter
promoveatur &c. propalans, peccat mortaliter.

¶. 4. Inabilitatem ad dominia rerum tempo-
ralium, sicut & ad matrimonium contrahit
Religiosus in particulari.

¶. 5. Religiosi in communi (exceptis Francisca-
nis strictioris observantiæ) habent dominium
rerum temporalium, & non meram admini-
strationem. Constat ex Trid. sess. 25. c. 3. ubi
permittitur, ut Religiosi possideant bona,
etiam immobilia in communi, & redditus di-
cuntur proprii Monasteriis.

4. *Quorum bonorum Clerici sunt Domini?*

Pro hoc notandum 1. quòd non agamus de
Clericis, qui per votum paupertatis ad exem-
plum, & regulas Apostolorum omnibus re-
nuntiabant, quales erant omnes initio nascen-
tis Ecclesiæ, ut patet ex caus. 12. can. *Dilectissi-
mi Eccl. sed de Clericis modernis, qui Divino
mancipantur obsequio cum stipendio.*

Notandum 2. quòd triplicia possint esse Cle-
ricorum bona, *patrimonialia, quasi patrimonia-
lia, Ecclesiastica, seu Sacra.*

Patrimonialia sunt, quæ Clerici aliter, quâm
per functionem sacram acquirunt, V.G. ex
testamento, donatione &c.

Quasi patrimonialia sunt illa, quæ Clerici
obtinent præcisè ratione alicujus functionis
Ecclesiasticæ, non autem ratione beneficii,
V.G. quæ dantur in sustentationem, aut stipen-
dium laboris præstiti, ut *Concionis, lectionis
Sacri, &c.*

Pure

156 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

Pure Ecclesiastica sunt, quæ præcisè titulo Ecclesiastici beneficij obveniunt, ut proveniens ex Canonico &c. His positis

¶. 1. Clerici sunt absoluti Domini bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium. Hoc apud omnes certum est, & nullâ Legi prohibetur.

¶. 2. Clerici quantumcunque divites possunt se sustentare similibus bonis quasi patrimonialibus, nec tenentur strictè patrimonialia impendere suæ sustentationi.

¶. 3. Non sunt tamen Domini bonorum immobilium strictè beneficialium, quia Ecclesia nullum eis jus tribuit, nisi in fructus bonorum ejusmodi: hinc omnes alienationes talium bonorum habentur ut irritæ, & nullæ, ut insinuatur Can. *Non liceat. caus. 12. q. 1.*

¶. 4. Clerici beneficiati, quamvis divites, habent plenum & absolutum dominium respectu portionis fructuum per se ad sustentationem necessariæ; quia Clerici possunt, pro ut voluerint, & quibus, de patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, licetè, & liberè disponere. Constat ex Cap. *Relatum.*

5. *An Clerici sint ita Domini fructuum strictè beneficialium, quin superflua ad honestam sustentationem, suoque statui congruentem non teneantur pauperibus erogare, vel in piis causas expendere, non tantum ex charitate, sed etiam ex justitia, ideoque si in profanos usus expenderint, vel consanguineis donaverint, (nisi forte in piam*

cau-

causam, vel ad sublevandam eorum inopiam)
an ad restitutionem teneantur? &c.

¶. Eos obligatos esse ex justitia: beneficiati enim non habent jus nisi ad honestam sustentationem, ut qui servit Altari, de Altari vivat; ergo quidquid est extra sustentationem, est extra illud jus. Constat ex Epistola S. Bernardi ad quemdam Canonicum Lugdunensem: *Quidquid prater necessarium victimum, & simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est.*

6. An Clerici ex patrimonio divites, reservatis patrimonii bonis, sine iniquitia vivere possint ex bonis Ecclesiæ? &c.

¶. Aff. *Quis enim militat suis stipendiis umquam?*
1 Cor. 3.

APPENDIX

De pensionibus Ecclesiasticis.

PENSIO h̄ic sumitur pro *jure percipiendi fructus ex beneficio alieno*, & ille, cui istud competit, dicitur pensionarius.

Triplex est: Alia datur Laicis pro ministerio temporali, V. G. Regi, vel Duci Ecclesiam armis defendenti. Alia propter Officium Spiritualē, V. G. Concionatori propter conciones &c. Alia propter resignationem, vel cessionem beneficii, ut si quis resignet, vel permuteret beneficium cum altero, vel cedat jus probabile, quod haber ad beneficium, retento jure ad partem fru-

158 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

fructuum illius. Quæstio potissimum movetur de pensionibus tertii generis.

1. Tales pensiones creari nequeunt propriâ partium autoritate, tum quia non pertinet ad privatos gravare beneficia Ecclesiastica, & eis annexa jura quodammodo separare, vel mutilare: tum quia omnis privata pactio circa res spirituali annexas, ut sunt beneficia, vel præbenda &c. prohibita est velut Simoniaca, ut habetur Cap. *Quæstum.* De rerum permutatione.

2. Tales pensiones certis casibus licetæ sunt, interveniente justâ causâ, & superioris autoritate.

Ratio petitur 1. ex praxi Ecclesiæ. 2. Ex eo, quod Pontifex, & in casibus quibusdam Episcopus possit separare ex legitima causa partem juris ad fructus temporales à titulo beneficij, eamque in alium transferre.

Dicitur *ex legitima causa*, quia si hæc non adsit, non habetur justus titulus ad percipiendam pensionem etiam de consensu Papæ, quippe qui potestatem accepit non in destructionem, sed ædificationem. Ex dictis

Collige 1. Beneficii sub pensione resignationem non esse semper illicitam, quando resignans habet aliunde sustentationem: quia potest eo non obstante adesse justa causa ad percipiendam pensionem, ut si pensionarius in publicam Ecclesiæ utilitatem laboret: & ita excusari possunt Professores Academicci, dum Canonicatum per Universitatis privilegia acquisitum abdicant, etiam si

vel

vel ex patrimonio, vel ex fundatione Collegiorum, quæ subinde moderantur, sustententur: nam qui in publicam Ecclesiæ utilitatem laborant, digni sunt, qui Ecclesiæ stipendiis alantur. Hac etiam ratione Cardinales in Ecclesiæ regimine Pontifici assistentes Ecclesiasticis gaudent pensionibus.

Collige 2. Beneficii sub pensione resignationem esse licitam, quando resignans abdicat suum beneficium, quia Ecclesiæ Dei amplius servire non potest, & interim indiget pensione ad vitæ sustentationem: quia æquitas postulat, ut ministris Ecclesiæ subveniatur, dum amplius servire nequeunt.

Collige 3. Ex causa legitima, qualis est opportunitas Deo melius serviendi, licitum esse permutare Beneficia cum pecuniaria pensione in æqualitatis fructuum, quando beneficium tenuius non sufficit ad congruam sustentationem, quia pars est Ecclesiæ ministros, quamdiu servire pergunt, plenâ sustentatione semel habitâ non privari.

CAPUT II.

De Dominio Sæcularium.

§. I. *Quomodo acquiratur Dominium per venationem, & aucupium?*

Nota 1. Aliqua animalia esse suâ naturâ fera, & silvestria, ut lepores, perdices &c. aliqua mansueta, ut ovcs, boves, equi &c.

Nota

160 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

Nota 2. Aliqua, licet naturâ suâ sint fera, educatione tamen cicurantur, ut cervi &c. alia è contrario, quæ naturâ suâ sunt mansueta, in sylvis relicta efferantur, ut sues, capræ, equi ex Europa in Indiam occidentalem asportati, qui in sylvis venatione capiuntur, ut aliæ feræ.

De omnibus animalibus generatim hoc verum est, quod quando Domino carent, siant primò occupantis, ut habet lex 1. ff. De acquirenda possessione. His prænotatis

¶. 1. Animalia mansueta, & domestica, licet Domini custodiam egrediantur, perdantur, à lupo auferantur, &c. non sunt primò occupantis; quia ista animalia habent se sicut res aliæ, ut vestis, liber, &c.

¶. 2. Si animalia mansueta efferantur, sunt primò occupantis.

Censentur verò efferari, quando non solent redire ad priorem Dominum.

¶. 3. Illicitum est, & injustum domesticas columbas, aut retinere, aut occidere &c. aut tegnis ad suum columbarium allicere, &c. quia verò in hac arte diversæ sunt praxes, standum est consuetudini locorum, & communis conventioni: solent autem similes mutuam sibi condonare industriam, sub certo pacto, & hic nihil injustitiae.

Colligant 1. Venatores, quod si fera poterat evadere manus persequentis, & inciderit in retia, quibus se extricare non poterat, non fiat insequentis, sed irtetientis.

Col-

Colligant 2. Feram intricatam, quæ se extricare non potest, non fieri extrahentis, quia inter tempus intricationis, & extricationis à laqueo fera non fuit nacta libertatem: aliter judicandum, si fera quidem sit irretita, sed facile tamen evasura, & hæc sit capientis.

Colligant 3. Feram lethaliter læsam, si manus vulnerantis evadere non possit, vulnerantis fieri, licet per vulnus in laqueos alterius inciderit, quia vulnus lethiferum est laqueus firmior, quam funis.

Colligant 4. Pisces fluviatiles, nullius dominio antè subjectos, non fieri illius, qui aquæ strepitu eos cogit in nassam, sed illius qui nassam posuit. Furtum est per se, capere pisces ex alieno vivario.

P. An venatio prohiberi possit?

R. 1. Hoc potest Princeps etiam in loco publici juris ad solam sui ipsius recreationem; quia Princeps, cum laboret pro Republica, potest etiam aliqua loca communia suæ recreationi conservare: qui contra hanc Principis inhibitionem venantur, ordinariè tantum peccant venialiter, nam prohibiciones tales solent tantum esse pœnales.

§. 2. *Quomodo acquiratur Dominium in bona derelicta, incerta, inventa, thesauros? &c.*

Notandum, quod illæ res nullius in bonis esse dicantur, quæ vel nullum umquam do-

L mi-

162 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

minum habuerunt, ut gemmæ, &c. in littore maris; vel quæ dominum quidem habuerunt, sed penitus ab illo derelicta sunt, vel temporis longinquitate desinunt possideri.

¶. 1. Bona, quæ nullum dominum habuerunt, vel quæ pro derelictis à propriis dominis habentur, fiunt primò occupantis. De prima parte dubium non est. De secunda convenient Theologi, quia eo ipso, quo quis abjecit rem suam, animo penitus eam deserendi, voluntariè, & spontaneè, etiam abdicat illius proprietatem.

¶. 2. Bona incerta fiunt etiam primò occupantis, hoc sensu, quòd si occupans, factâ diligentî inquisitione, ignoret dominum, possit illa in individuo sibi retinere, & aliud æquivalens pauperibus erogare. Patet ex communi praxi, per quam videtur satisfieri intentioni domini.

¶. 3. Bona incerta injustè occupata; V. G. furta, debent piis usibus applicari, quia meritò ea supponitur mens Domini, ut si rem suam non possit recuperare, saltem modo, quo potest optimo, in suum commodum applicetur.

¶. 4. Bona inventa practicè loquendo non fiunt inventoris, sed piis usibus sunt applicanda, vel aliquid iis æquivalens, quia hîc iterum præsumitur meritò ea esse domini voluntas. Suantum est, ut si quis rem alicujus momenti invenerit, eam tradat vel Zenodochio, vel Monasterio pauperi, cum onere restituendi, si dominus cognoscatur, & rem suam repeatat.

¶. 5. Circa inventionē thesauri, hæc statuunt jura:

1. Si quis in fundo proprio thesaurum inveniat absque mala arte, fit totus inventoris. Ita §. *thesauros*. Institutis de rerum divisione: si autem malā arte, V. G. per magiam &c. invenerit, adjudicatur Fisco post sententiam judicis. Ita lege unicā. Codice de *thesauris*.

2. Si quis in fundo alieno thesaurum casu invenerit, dividitur inter dominum fundi, & inventorem. Ita §. mox citato: si verò de industria quæratur, & inveniatur, domino fundi inscio, vel invito, una medietas ante sententiam cedit domino fundi, & etiam altera post sententiam.

3. Si in alieno fundo, petitā facultate, thesaurum quis quærat, & inveniat, standum erit pacto.

4. Thesaurus casu in loco sacro inventus dividitur, una pars cedit inventori, altera Prælato, loco sacro, &c.

5. Lapilli, gemmæ &c. quæ in fluminibus, vel in littore maris inveniuntur, fiunt primò occupantis, quia nullius sunt. Quod autem attinet ad venas metallicas auri, vel argenti, &c. non minus videntur pertinere ad dominum fundi, quam fodinæ lapidum, cretæ, & carbonum, quandoquidem videantur pertinere ad fundum, vel tanquam pars fundi, vel tamquam fructus illius.

6. An bona, quæ ex metu naufragii projiciuntur, debeant censi derelicta?

¶. Neg. Quia dominus libentissimè ea retineret hinc in Bulla Cœnæ Domini, & Cap. *Excommunicatione*, De raptoribus, excommunicantur, qui bona naufragorum auferunt.

2. An liceat pretio currenti emere agrum, in quo tu solus nōsti latere thesaurum?

¶. Aff. Quia thesaurus non est pars fundi, vel illius fructus, & jus fodiendi in agro non solet specialiter æstimari ab hominibus, nisi quando sciunt, in eo latere thesaurum, vel saltem magna est suspicio.

§. 3. *Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem?*

PRæscriptio definitur: *Acquisitio Domini, vel juris per continuationem possessionis tempore per legem definito cum ceteris requisitis.*

Secundum jus Canonicum ad legitimam præscriptionem concurrere debent hæc quatuor: 1. *Possessio*. 2. *Titulus probabilitè præsumptus*. 3. *Bona Fides*. 4. *Continuatio possessionis cum bona Fide per tempus lege definitum*.

Requiritur continuatio possessionis &c. hinc si quis inchoaverit possessionem cum bona fide, & anno V.G. elapso rem sciat esse alienam, & pergit interim possidere, tempore elapso possessionis, non præscribet rem, sed fiet malæ fidei possessor.

1. An per præscriptionem legitimè factam rei transferatur Dominium in præscribentem in foro conscientiæ?

¶. Aff. Constat 1. ex Lege 1. ff. ubi dicitur: *Introduta*

ducta est usucatio (quæ differt à præscriptione tamquam magis commune à minus communi) ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia. 2. Ex Lege 3. ff. ubi usu-catio definitur: *Acquisitio Domini.*

Deinde Ecclesia præscriptionem bonæ Fidei approbat, ut constat ex Cap. *Auditio.* Cap. *Cum olim.* de præscriptionibus, in quibus titulo præscriptionis iura Episcopalia adjudicantur Abbatibus.

2. Quantum temporis à jure requiritur ad legitimam præscriptionem?
- ¶. 1. Ut res mobilis de jure communi præscribatur cum titulo, & bona fide, requiritur triennium: si possessio rei mobilis sit sine titulo, postulantur 30. anni.
- ¶. 2. Bona immobilia privatorum, ut præscribantur cum titulo, postulantur 10. anni inter præsentes, 20. inter absentes, sine titulo 30.

Præsentes hic sunt omnes illi, inter quos familiaris est negotiatio, ita ut quæ facta sunt in uno loco, facile innotescant in alio, quales sunt, qui habitant in una Provincia, &c. Absentes verò sunt, inter quos non est tam familiaris communicatio, ita ut plura etiam notabilia contingent in uno loco, quæ ignorantur, vel ignorari debent moraliter in altero.

- ¶. 3. Rei immobilis præscriptio contra Romanam Ecclesiam non perficitur nisi annis 100. Quo ad præscriptionem tum mobilium, tum immobilium pertinentium ad loca pia, ob-

servandum, quod non absolvatur præscriptio per tempus commune à jure statutum, sed videnda hīc partim Ecclesiæ, Canonumque constitutio, partim jura, & privilegia Ecclesiæ, & Monasteriorum.

¶. 4. Legata, & fidei commissa non possunt præscribi nisi post 30. annos completos. Actio injuriarum exspirat lapsu unius anni.

3. Quis possidendo potest præscribere?

¶. Ille, qui dominii capax est, & quidem illius rei, cui insistit: hinc Religiosus sibi nihil præscribere potest. Laicus non præscribit jus decimorum, quantumvis longo tempore decimas ut suas detineat, quia illius juris incapax est.

C A S U S I.

Petrus biennio possedit rem aliquam mobilem bonâ fide, interim postea incidit dubium, an res non sit Joannis; apparent quædam motiva, ob quæ iudicat possibile esse, quod res sit Joannis; Quæritur, an Petrus motiva illa veri similia negligere possit, & viâ præscriptionis rem, de cuius Dominio dubitat, facere suam?

¶. Neg. Quia dubium illud superveniens bonam fidem interrumpit. Cujus ratio est: Petrus in casu non potest formare judicium certum, quod res sit sua; unde, ut advertit noster Aragonius, ille dubitans non habet bonam fidem, sed sauciam: fides enim bona debet esse quieta.

CA.

CAPUT III.

De Injuria, & Restitutione in genere.

§. Unicus.

Quid Restitutio, & qui tituli ad eam obligantes?

Injuria definitur communiter: *juris alieni violatio.*

Restitutio, prout h̄ic sumitur, est, *Actus iustitia, quo damnum alteri illatum reparatur.* Læsio juris alieni non debet præsupponi formalis, sed sufficit materialis, in eo sita, quod aliquis habeat jus ad rem aliquam; sic restitutio fit, cum res perditæ redduntur Domino.

i. Qualem culpam supponit debitum restitutio-

nis?

Ante responsionem adverte, culpam aliam esse Theologicam, aliam iuridicam.

Culpa Theologica est, *derivatio à Lege aeterna*, sive fiat per peccatum mortale, sive veniale. Culpa iuridica est, negligentia in custodienda re aliena, sive interim illa omissio sit coram Deo peccatum, sive non.

Culpa iuridica dividitur in latissimam, latiorem, & latam, levem, & levissimam. Latissima est, *apertus dolus, & destinatum nocendi consilium*, ut si furem positivè adjuves. Latior est, *tanta incuria, ut merito possit dolus præsumi.* Talis est culpa ejus, qui sciens, & volens sinit

personam lædi in bonis fortunæ, vel corporis, quando facile potest impedire. Lata est, *omissio diligentiae, vel circumspectionis, quam quilibet ejusdem professionis, etiam parum circumspectus, aut diligens, solet in simili adhibere*: ut si quis rem sibi commodatam reliquerit in domo aperta totâ nocte. Levis est, *omissio diligentiae, quam homines ejusdem conditionis diligentiores passim adhibent*: ut si auferatur depositum alterius, quod in cubiculo clauso, sed non obserato positum est. Levissima est, *omissio diligentiae, quam ejusmodi conditionis homines diligentissimi passim adhibent*: ut si depositum alicujus claudam in arca, & non explorem, an forte non sit aliquis defectus in sera. His prænotatis

R. 1. Nemo tenetur jure naturæ ad restitutio-
nem, nisi damnum ex culpa Theologica fue-
rit illatum. Potest tamen quis obligari sine
culpa, ut sit in contractu assecurationis ex
mutuo consensu obligatorio.

R. 2. Qui ex culpa Theologica levi intulit gravo
damnum, tenetur ad restitutio-
nem damni, ad minus juxta proportionem culpæ: quia
licet damnum totale suo modo in casu sit vo-
luntarium, tamen damnum totale non est vo-
luntarium voluntate graviter injuriosâ for-
mali, ac proindè nimis durum foret, quod
ad restitutio-
nem totius damni obligaret.

R. 3. Qui dumtaxat ex culpa juridica levi, vel
levissima damnum intulit, in conscientia (se-
clude

clude contractum) non tenetur ad restitutio-
nem, quia nullus in conscientia tenetur cave-
re damnum alterius per diligentiam, quam
adhibere solent homines similis conditionis,
aut diligentissimi, nam sufficit, quod aliquis
se gerat prudenter, & circumspecte.

2. Qui sunt tituli, ex quibus nascitur obligatio
restitutionis?

Res. Sunt hi duo: res accepta, & injusta acceptio;
obligamur ratione rei acceptae, quando res
aliena devenit ad nos injuste, sed sine nostra
culpa, V.G. si quis bona fide rem furtivam
emerit a fure, tenetur ad restitutionem, quia
res illa semper manet aliena.

Tenetur titulo injustæ acceptio, qui al-
teri damnum injuste intulit.

Per injustam acceptioem intelligitur,
omnis injusta damnificatio, licet damnificans
indè nullo modo locupletetur, ut si quis do-
mum alterius injuste incenderit.

3. An ad restitutionem teneatur Confessarius,
eo quod ex carentia scientiae debitæ injunxit
restitutionem, quæ non erat injungenda?

Res. Aff. Quia influit in damnum. Idem dic de
Medico, qui ignoranter consuleret medica-
mentum nocivum. Item de Advocato, qui
in lite inchoata, vel inchoanda sinistrum præ-
beret consilium. Subintellige, quod ignoran-
tia illa istis debeat esse voluntaria, & culpa-
bilis, scilicet carentia scientiae debitæ inesse.

4. An accepta ob turpem causam sint restituenda?

170 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

¶. Aff. Quia peccatum nequit deduci in pactum, vel conventionem justæ conditionis, cùm nihil sit, & eatenus nullius pretii.

¶. 2. Accepta pro iniquo opere patrato sunt restituenda, etiam antè Judicis sententiam, quando opus est injustum, & injuriosum alteri. Hinc S. P. epist. 54. ad Maced. *Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato, rede quod accepisti, quando contra veritatem testisti, iniquitati adfueristi, judicem fecellisti, justam causam oppressisti, de falsitate viciisti.*

Speciale aliquid est in meretricibus, quæ licetè retinent ea, quæ à scortatoribus dantur pro actu meretricio, quia Res-publica verisimiliter transfert dominium rei donatæ in meretrices. Ratio est, quia expedit Rei-publicæ alere quandoque, & tolerare meretrices, tamquam minus malum, ad evitandum majus, nè scilicet invadantur tori conjugales, nè filiae honestæ patiantur stupra &c.

5. Cui debet restitutio fieri rei acceptæ ob opus malum?

¶. Si turpitudo se teneat ex parte utriusque, ex dispositione juris debet fieri Fisco, ut constat ex Lege *Lucius*. ff. de Jure Fisci. Ratio est, quia uterque meretur privari re datâ, vel acceptâ pro flagitio: sed quia confiscatio pœna est, antè sententiam Judicis nil debetur Fisco, quare jure naturæ restitui debet donatori, exceptis simoniacè acquisitis, quæ jussu Ecclesiæ applicanda sunt piis causis.

6. Cui

6. Cui facienda restitutio, quando verus deest dominus, à quo res ablata fuit?

7. Facienda est ejus hæredibus, & in horum defectu iis, qui & acceptatâ ubique consuetudine, & à Superioribus approbatâ, supplantent vicem veri domini; hi autem sunt pauperes. Satisfacit etiam iniquus detentor in simili casu, si piis usibus applicet.

7. An restitutio sit necessaria ad salutem?

8. In materia gravi est necessaria necessitate præcepti. Hinc S.P. Aug. epist. 54. *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fngitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

C A S U S II.

Quid faciendum Confessario ad infirmum vocato, qui aperit casum concernentem materiam restitutio- nis, si res apparet dubia, & penitus implexa, an restitutio injungenda sit, nec ne? Et mors infirmi momentis singulis imminens non patitur, ut viri doctiores, aut libri consulantur.

8. Confessarius id agat, ut restitutio (sicam postea necessariam invenerit) fieri debitè queat. Huic autem rei consultum videtur, si inducat pœnitentem, ut scripto, vel verbo coram testibus declareret, se velle, ut hæres Confessario talem pecuniæ sumnam donet in causam aliquam piam, de qua cum ipso egit, pro ejus arbitrio expendendam. Hoc pacto fama pœnitentis discrimini eripitur, restitutio collocatur in tuto, nec men-

172 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

mendacii, aut restrictionis pure mentalis vi-
tium committitur. Si modus assignatus fortè
non arrideat, accipe alterum: cùm obligatio
restitutionis certa, vel dubia, in justitiam for-
malem, aliudve peccatum nequaquam sup-
ponat, nihil famæ ejus metuendum, etiamsi
debiti solutionem Confessario, ut ipse neces-
sarium judicabit, in circumstantiis memoratis
injungerer.

C A P U T IV.

*De danno in bonis fortunæ per furtum,
& rapinam.*

§. I. *De furto, & rapina.*

Furtum est, *occulta rei alienæ, Dominorationa-*
biliter invito, ablatio. Rapina vero, *dum in*
præsentia Domini quidquam aufertur: specie dif-
fert à furto simplici, quia præter injuriam rea-
lem continet etiam personalem.

P. 1. *Quæ materia ablata est sufficiens consti-*
tuendo peccatum mortale?

R. *Hoc physicè determinari non posse, sed mo-*
raliter loquendo, ad peccatum mortale in
Belgio videtur sufficiens materia, justum sti-
pendium diurnum fabri lignarii, nempe 4.
solidi.

Notandum, quod eadem quantitas, quæ
respectu extranei sufficit ad furtum grave, non
semper sufficit ad culpam mortalem respectu
filiorum in bonis paternis. Hinc

Re-

Regulæ dignoscendi domesticorum furta.

1. **A** Confessatio consideranda est materiæ acceptæ qualitas. 2. Attendendum, an ea, quæ surripiuntur, impendenda sint usibus propriis, an verò, ut aliis dentur. 3. Pensanda est conditio Patris-familias, an sit pauper, dives, an liberalis in suos, an tenax. 4. Respicienda qualitas accipientis, an sit uxor, an filius, &c. 5. An Dominus rationabiliter invitus sit quoad substantiam, an quoad modum. Si filii, invitis parentibus, auferant notabilia, in divisione hæreditatis, vel alio modo tenentur ad restitutionem.

Ex his patet, quomodo plùs requiratur, ut furum uxor sit grave, (quæ eleemosynas ordinarias statui suo congruentes præstare tutò potest, quamvis maritus expressè non consenserit) quam filii, &c. Ex his circumstantiis colligi potest, an domestici peccent graviter, an leviter. Adverte, quòd famuli, & ancillæ in materia pecuniaria, putà unius Imperialis, vix possint excusari à mortali, quia solet Dominus respectu similium non tantùm esse invitus quoad modum, sed etiam quoad substantiam: dum autem surripiunt esculenta, & poculenta à suis Dominis, etiamsi per minuta furta tandem perveniant ad notabilem quantitatem, dummodo non surripiunt, ut dent aliis, vel vendant, per se non videtur esse mortale.

2. Assigna aliquos casus, in quibus uxor non peccat, etiamsi notabilem sumam surripiat marito.

B2.

174 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

1. Si eamdem auferat de interpretativa viri licentia, V. G. Si vir rogatus facile concessisset.
2. Si eam summam expendat pauperibus in extrema, aut gravi necessitate constitutis.
3. Si in honesta recreatione eamdem expendat, sinè notabili familiæ detrimento, qualis non est, si pro summa notabili ludat cum periculo rei domesticæ. Idem est, si expendat in statum decentem, aut ornatum, in eleemosynas justas, eò quòd maritus quoad ea non sit invitatus, nisi irrationaliter, cùm ille non solum debeat uxori dare necessaria ad statum, sed etiam ad statum decentia.
4. Si eamdem donet ad avertendum damnum familiæ, exemplo Abigail uxoris Nabal, quæ 1 Reg. 25. ad placandam Davidis iram minantis eversionem domûs Nabal, *Tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, &c.... Viro autem suo Nabal non indicavit.* Si eam expendat in bonum mariti, V.G. eleemosynam ad ejus conversionem, eò quòd hoc casu uxor utiliter gerat negotia viri, & familiæ.
5. Si vir sit prodigus, & decoctor, poterit uxor aliqua surripere, & reservare, quæ sibi, aut suis erunt necessaria, idque ob eamdem rationem.
6. Si vir sit absens, amens, furiosus, quia tunc administratio ad eam devolvitur, nisi aliundè à Magistratu sit provisum.
7. Si pater, mater, vel filius ex priori matrimonio indigeant non solum quoad vitam, sed etiam quoad statum, poterit uxor illis providera

dere de bonis communibus, petitâ priùs ad hoc mariti licentiâ, cùm non sit æquum, quòd hoc faciat inscio marito: si tamen vir renuat, neque jus suum possit uxor juridicè obtainere, poterit de sua dote, ejusque fructibus illis subvenire, cùm obligationem naturalem non possit maritus impedita.

3. An licita sit occulta compensatio?

¶. Aff. Si suis sit stipata conditionibus: 1. Est, dum quis sivè in judicio, sivè extra judicium aliter nequit rem suam obtainere, aut non nisi cum ingenti molestia, prolixis expensis, litibus, amicitiae jactura. 2. Ut caveatur periculum, nè debitor, vel detentor peccet ex conscientia erronea, perseverando in affectu non solvendi, vel detinendi, quod reverà quidem solutum est, sed existimat non esse solutum. Item ne ipsi postea, vel hæredes iteratò solvant. 3. Neque debitor, vel detentor, neque tertius pati potest detrimentum; hinc debes præcisè accipere rem tuam, si exstet, & non aliud æquivalens: si autem res tua non ampliùs exstet, vel si non sit res tua, sed tantùm debita, prospiciendum est, ut non ex bonis alicujus tertii apud debitorem fortè depositis, sed ex rebus debitori propriis tibi solvas.

Hæc compensatio occulta famulis, & ancillis, licet viliori pretio elocaverint operam suam, illicita est. Patet ex propositione 37. ab Innoc. XI. proscripta: *Famuli, ac famulæ possunt occultè heris suis surripere ad compen-*
san-

176 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

*sandam operam suam, quam majorem judicant
salario, quod recipiunt.*

4. *Quale committunt peccatum Judices, vel
Causidici, qui procrastinant causas pauperum,
& expediunt causas divitium; item, qui ven-
dunt judicia?*
5. *Peccato rapinæ, quia intervenit violenta op-
pressio.*
5. *An peccato furti peccent sartores, &c. dum sibi
retinent fragmenta panni, serici, telæ &c.*
5. *Aff. Si sint talia, quæ possunt esse notabili usui
dominorum.*
6. *Quid faciendum ei, qui bonâ fide detinet
alienum?*
5. *Quamprimum sciverit alienum, tenetur rem
ipsam restituere, si exstat cum fructibus, ex
quibus factus est ditior, ne de eo dicatur: Per-
severat in affectu rem non suam detinendi.*
7. *Quomodo per minuta furtæ peccatur?*
*Sciendum, quod furtæ minuta diversimodè
fieri possint. 1. Si quis ab eadem persona mi-
nutum aliquod sæpiùs auferat. 2. Si minuta
eiusmodi surripiantur diversis. 3. Quando
plures parum furantur ab eodem.*
5. *1. Qui animo corradendi summam notabilem,
minuta furatur, in quolibet actu mortiferè
delinquit, quia singuli actus procedunt ex vo-
luntate mortaliter peccaminosa, cuius proin-
dè malitiam attrahunt. Hinc Prov. 11. v. 1.
dicitur: *Statera dolosa abominatio est apud
Dominum.**

¶. 2. Qui multa minuta diversis surripit, peccat mortaliter, quando ad summam pervenit notabilem: tunc enim verum est dicere, quod rem alienam, & quidem gravem detineat, adeoque damnum inferat notabile, non quidem uni in particulari, sed communitati eorum, qui rebus suis privantur: & nisi hoc admittatur, omnino consequens est, quod quis, citra culpam gravem, amplas opes possit corradere.

C A S U S III.

Plures ingrediuntur, vel prætereunt vineam alterius, & unum singuli, vel dnos boeros decerpunt, sic tamen, ut ab omnibus simul inferatur possessores damnum grave. Quaritur, utrum singuli peccent mortaliter?

¶. Si omnes id faciunt communi consilio, vel instinctu, peccant singuli mortaliter, & obligantur ad restitutionem in solidum, casu quo contingat alios deficere. Ratio est, quia singuli cooperantur ad totum damnum, quod supponitur esse grave: si fiat merè causaliter, & alter non sit conscient furti alterius, singuli tantum peccant venialiter, nec tenentur ad restitutionem, nisi pro illa parte damni, quam quilibet intulit; ideoque tantum est obligatio sub veniali, quia singuli tantum sunt parva causa damni.

§. 2. *De cooperantibus ad furtum.*

ET in præsenti de furto, & in alia de homicidio, detractione, & qualibet injustæ damni-

M

fica-

178 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

ficationis materia, sèpè necessaria est cooperantium mentio, & diversus diversorum in talem damnificationem influxus potest esse vel positivus, vel negativus. Accipe novem cooperandi modos:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Tenetur ad restitutionem mandans, etiamsi explicitè, vel implicitè furtum &c. jubet effectu secuto, quia injustè damnificavit tertium; sive id fiat per se, sive per alterum, parum refert.

1. An mandans teneatur ad restitutionem, si mandati revocatio sit insinuata mandatario?
2. Si sit revocatio efficaciter insinuata ante operis mali executionem, mandans ad nihil tenetur, quia tunc nullo modo influit in damnum alterius: si autem mandatario non insinuaverit, vel si insinuaverit, & revocatio non sit insinuata, mandans non excusatur à restitutione, quia equidem moraliter influit in istam damnificationem.
2. An mandans excusetur à restitutione, eò quòd alter equidem mandâisset?
3. Neg. Quia ideo non desinit influere in damnum &c.
3. An sola rati-habitio sufficiat, ut quis obligetur ad restitutionem?
4. Neg. Quia rati-habitio non est causa damni, nec in illud influit, sed est posterior; peccatum, qui ratum habet furtum &c.

Quæ dicta sunt de mandante, pariformiter

ex-

extende ad consulentem, excipe Casum unicum mox subnectendum.

4. Quid intelligitur per *consensum*?

¶. Hoc vocabulo significatur, quod consentiens alterius damnificationi, fovens, approbans, vel suffragium ferens, si consensu suo, vel favore, &c. influat in actionem damnificativam, sit obnoxius restitutioni.

5. Quid intelligitur per *palponem, recursum*?

¶. Palpo est omnis adulator, qui actionem damnificativam laudat, vel omissionem ejus vituperat, & ignominiæ vertit.

Tenetur ad restitutionem, quando ita in damnum influit, ut moveat ad occidendum &c. extollendo actionem tamquam generosam, & omissionem ejus irridendo, vel exprobrando: dum autem palpo suâ adulazione, vel irrisione in damnum non influit, peccat quidem, sed ad restitutionem non tenetur. Per *recursum* intelligitur receptatio furis, partque obligationem restituendi, quando in damnum influit, ut si furta, vel etiam furem, vel furandi instrumenta domi recipias, occultes, si furem protegas, ipsi securitatem praestes, si furta vendas, &c. aliter judica, quando receptatio furis non influit in actionem damnificativam, ut si furem ad hospitium admittas, sicut alios viatores, &c.

6. Quid intelligitur per *alios cooperandi modos*?

¶. i. Duplicis generis dantur participantes: unus participans est in damno, quod per alium in-

180 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

fertur, in quantum sit particeps prædæ, & ille tenetur ad restitutionem pro illa parte, quam accepit titulo rei acceptæ: alter participans est in actione damnificativa, concurrendo ad ipsam actionem, V.G. deferendo scalas, agendo excubias, effringendo fores, asportando prædam, &c. & tenetur ad restitutionem in-justæ damnificationis.

R. 2. Per *mutum* intelligitur, qui debet immediatè damnum impedire, loquendo V.G., prohibendo, strepitum excitando, & interim tacet. Huc spectat: *Qui tacet* (dum loqui debet) *consentire videtur*.

R. 3. *Non obstante* dicitur, qui debet auxilio suo damnum impedire, & non impedit, ut est ille, cui ex officio, vel contractu hoc incumbit.

R. 4. *Non manifestans* est, qui debet alteri manifestare vel ante furtum, ut impediatur, vel post furtum, ut restituere cogatur. Hi omnes tenentur ad restitutionem, quando ex justitia debent impedire furtum ex officio, vel contractu, & non impediunt.

C A S U S IV.

Fur statuit hodie furari à Joanne, vel ab aliquo indeterminatè, & impulisti, ut furetur à Paulo: Item: Vult furari hodie, & impellis, ut exspectet in crastinum: an obligeris ad restitutionem?

R. Ad utrumque aff. Quia verè influis ad damnum, quod infertur Paulo, etiamsi fortè suscitis, ut minus auferat à Paulo, quam erat ablaturus à Joanne, vel alio; aut ut potius furetur

cras,

eras, quam hodie, si in crastinum furtum tuo consilio influas.

C A S U S V.

Fur erat determinatus ad furandum eodem prorsus modo, hoc est, aequè multum, aequè citò, ab eodem, consilium tuum adjicis, an tenearis ad restitutionem?

R. Sub disjunctione: vel fur efficaciter determinatus propriâ suâ voluntate, insuper movetur tuo consilio, velut novo, & accessorio motivo, vel non; si primum, verè influis in damnum, consequenter restitutioni obnoxius es: saltem non videtur dubium, quin obligeris ad restitutionem, si fur tuo consilio fiat audacior, vel promptior ad furandum, vel citius furetur.

C A S U S VI.

Instruxisti Petrum circa media ad furandum requisita, ante executionem ostendis, te pœnitere facti, imò deterres illum à furto, ita tamen, ut prædicta media per te suggesta, vel usum ipsorum non impediatur; contingit, Petrum à te instructum furari, an ad restitutionem tenearis?

R. Aff. Nam mansit causa à te adhibita, scilicet instructio, vi cuius influis in furtum.

Nec refert, quod mandans ad restitutionem non teneatur, si mandatum præviè retractarit, quia authoritas mandantis est unica causa movens ad furandum, ac proinde mandato cessante, cessat omnis causa influens.

C A S U S VII.

Plures habent ius ferendi suffragium, scio majo-

rem partem in electionem indigni ad aliquod officium inclinari, ego me illis adjungo; queritur, an ad restitutionem obliger?

Ante resolutionem nota, duobus potissimum modis fieri posse in praesenti materia, ut peragatur electio, & suffragantibus accedam.

Primus est, si valor electionis requirat omnium suffragia, & meum V. G. loco ultimo, vel penultimo dem.

Secundus, dum scio certò alia præcessisse in satis magno numero, ut eligatur indignus, ita ut ille equidem futurus sit Consul V. G. Superior, &c. sive meum addam votum in favorem ipsius, sive non, & sic est de omni casu dandi suffragii in materia injusta. Sic etiam aliquis lucrabitur item injustam, sive junior Consiliarius suum ferat judicium juxta præcedentes, sive non.

R. 1. Dum valor electionis requirit omnium suffragia, & ego pariter meum do indigno, tenor ad restitutionem, quia per meum suffragium sum causa electionis indigni, sique influo in damna inde sequentia.

R. 2. Dum offero suffragium primus, vel saltem isto ordine, ut numerus suffragiorum antecedentium nondum sufficiat ad valorem electionis, tunc dando meum suffragium non tantum pecco, sed verè influo in electionem indigni, atque ita sum causa moralis damni sequentis. Sed quid si electio non requirat omnium electorum suffragia, & meum V. G. ultimo, vel penultimo loco addam, dum sum certus, alia suo numero suffi-

sufficientia præcessisse suffragia, an tunc eligen-
do indignum obliger ad restitutionem damno-
rum inde evenientium? R. Aff. Licet enim ante
meum suffragium posita sit causa sufficiens ad
electionem indigni, & injustæ electionis valo-
rem, tamen eo ipso, quo votum meum superaddo
in favorem electi, simul concurro ad eumdem
effectum, & quidem sic, ut electio accipiat robur
a meo suffragio: siquidem electio pronuntiatur
valida in vim omnium suffragiorum concor-
dantium.

§. 3. *An omnes cooperatores jam descripti
teneantur ad restitutionem in solidum?*

R. Esp. Eos teneri eo modo, quo cooperantur,
id est, tenentur in solidum, sive ad restitu-
tionem totius damni, supposito, quod concur-
rant ad idem damnum totale: si autem ad partem
dumtaxat concurrant, tenentur ad partem resti-
tuendam.

P. 1. *Quo ordine prædicti tenentur ad restitu-
tionem?*

R. Cum S.T. 2.2. q.62. a.7. ad 2. Dicendum, quod
principaliter tenetur restituere ille, qui est prin-
cipalis in facto: principaliter quidem præcipiens:
secundariò verò exequens: & consequenter alii
per ordinem. Uno tamen restituente illi, qui passus
est damnum, alius eidem restituere non tenetur:
sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos
res pervenit, tenentur aliis restituere, qui resti-
tuerunt.

M. 4

2. Quid

184 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

2. Quid est teneri primo loco ad restitutionem?

¶. Est aliquem sic obligari, ut illo restituente
cæteri fiant liberi, alio autem restituente, ipso
eidem restituere teneatur.

Nota, si res aliena, vel sine culpa, vel injustè
occupata adhuc exstet, primo loco tenetur ille
ad restitutionem, apud quem res exstet.

3. Quo ordine tenentur ad restitutionem, qui
negativè cooperantur?

¶. Non tenentur nisi post illos, qui positivè
influxerunt, quia illorum influxus est posterior
actione positivè cooperantium.

Solent plurimi hunc statuere ordinem resti-
tuendi inter negativè cooperantes, ut velint
primo loco teneri non obstantem, secundo
loco mutum, tertio non manifestantem: Quia
non obstante tenebatur ponere majus impedi-
mentum, & efficacius, quam mutus, mutus
vero efficacius, quam non manifestans: Si
quidem non obstante debebat furi resistere
facto, quod est efficacius: mutus vero, &
non manifestans tenebantur furi resistere solo
verbo, mutus vero immediatè, non mani-
festans mediatè.

4. An, dum plures tenentur ad restitutionem, &
damnum passus uni relaxat, reliqui sint liberi?

¶. Aff. Si damnificatus remittat illi, qui obli-
gatur antè alios; quia alii non obligantur, nisi
deficiente priore; undè dum priori relaxata
est obligatio, hoc ipso etiam pro cæteris onus
extinguitur: si autem damnificatus condonet
unus

uni ex posterioribus, anteriores non libertantur, quia priores tenentur independenter à posterioribus.

5. Quo ordine facienda est restitutio, quando non potest satisfieri creditoribus omnibus?

R. 1. Quando res exstat in specie apud furem, & certò cognoscitur esse aliena, debet restituī Dominō, si notus sit, aliās pauperibus, si non possit haberi notitia Domini.

R. 2. Præferendus est venditor rei cæteris creditoribus, quando res vendita quidem est emptori tradita, sed nondum transit in ejus dominium, quod sit, quando neque pretium est solutum, neque pignus, aut fide-jussor datus, quia res tunc verè est venditoris: si autem res transit in clementis dominium, vel venditor fidens emptori pretium habuit pro soluto, venditor non habebit præferentiam ante alios creditores, quia res non est magis illi obstricta, quām aliis.

R. 3. Si res non exstat in specie apud furem, debita certa debent solvi ante incerta. In hac materia secundūm consuetudinem loci attende diligenter jus præferentiae.

6. Cujus expensis fieri debet restitutio?

R. 1. Si res detineatur ex delicto, V. G. furto, debet fieri expensis detentoris, quia æquum non est, ut Dominus cogatur rem suam cum gravamine proprio recuperare.

R. 2. Si Dominus aliò migraverit, & aliquæ expensæ fuissent necessariæ pro rei suæ trans-

vectione, casu quo tempore transmigrationis illam habuisset, tunc illæ expensæ meritò deducuntur judicio prudentis viri.

¶. 3. Si res detineatur non ex contractu, vel delicto, V. G. si sit inventa, debet restituui expensis Domini; si autem res detineatur ex contractu, videndum est, an contractus sit utilis soli debitori, an verò creditori, an utriusque; si soli debitori, ut si equum habeat commodato, debitor gravatur expensis in restitutione faciendis: si contractus sit soli creditori utilis, tenetur creditor. Quod verò attinet ad tertium casum, videnda est consuetudo loci, & modus contrahendi racitè, vel expressè.

7. Ad quid tenetur possessor malæ fidei?

¶. Ad restitutionem rei ablatæ, & omnium rei fructuum naturalium, etiam illorum, ex quibus non est factus ditior. Responsio etiam habet locum in fructibus rei perceptis, et si Dominus non erat percepturus, V. G. furatus es equum, ipsumque elocasti, teneris pretium elocationis restituere; quia sicut res quælibet suum in clamat Dominum, ita & fructus rei.

8. An, qui abstulit vitulum, qui factus est bos, satisfaciat restituendo vitulum?

¶. Neg. Quia sicut res suo fructificat Domino, ita & melioratur.

Ut in similibus casibus furi restitutionem præscribas, notandæ duæ sunt regulæ. Prima, quod deduci debeant, & defalcari expensæ, quas Dominus facere debuisset. Secunda, spes fru-

fructuum, aut lucri futuri non debet æqualiter
æstimari cum fructu, lucroque præsente.

Ratio prioris partis est, quia non minor est
malitia furis, quam simoniaci: de simoniaco
dicit S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. *Si ali-
quis scienter, & propriâ sponte simoniacè accipiat
Ordinem, vel Ecclesiasticum beneficium, non
solum privatur, eo quod accepit, ut scilicet careat
executione Ordinis, & beneficium resignet cum
fructibus indè perceptis: sed etiam ulterius puni-
tur, quia notatur infamia, & tenetur ad resti-
tuendos fructus non solum perceptos, sed etiam
eos, qui percipi potuerunt à possessore diligentio.
Quod tamen intelligendum est de fructibus,
qui supersunt, deductis expensis factis causâ
fructuum. Ratio posterioris partis est, quia spes
obtinendi fructus non solet tanti æstimari,
quam fructus præsentes.*

P. 9. Quomodo restitui debet res apud furum
non meliorata?

R. 1. Si apud furum res in eodem statu perman-
serit, sufficit, eam restituere, prout est, compen-
sato tamen damno, si quod immerserit. Idem
est de lucro cessante, cuius fur causa est.

R. 2. Si res apud furum sit facta deterior quoad
valorem intrinsecum, & hoc acciderit negligi-
gentiâ furis, debet restitui secundum existi-
mationem, quam habuit, dum fuit ablata,
quia aliâs fur non ponit æqualitatem, manet
quæ injusta causa damni. Hoc habet locum,
etiamsi Dominus suâ culpâ permisisset fieri
rem

188 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

rem deteriorem, si ipsam detinuisse. Ratiō est, quia equidem verum est, quod fur non ponat æ qualitatem inter rem ablatam, & eam, quam restituit: unde licet prævideam, quod Dominus ex prodigalitate proprias incendret ædes, eo non obstante, si ego incendam, sum causa damni, ergo similiter.

¶. 3. Si res facta sit deterior quoad valorem extrinsecum, attendendum est, an Dominus rem esset venditurus, dum fuit ablata furto, & tunc restitutio debet fieri secundum estimationem pretii pro illo tempore; & hoc videtur sufficere, ut fiat restitutio rei secundum se, considerato damno, quod fortè incurrit Dominus suā re carendo tanto tempore, vel aliam similem emendo altiori pretio ob carentiam rei suæ ablatæ.

¶. 10. An, qui advertit se possidere rem furtivam, possit eam reponere in manus furis, ut premium recuperet?

¶. Neg. Quemadmodum enim rem alicui tertio tradere non possum, ut premium recuperem, ita nec furi.

¶. 11. Quæ causæ excusant à restitutione facienda?
¶. 1. Impotentia Physica, vel moralis. 2. Grave periculum imminens animæ, vel corpori.
3. Damnum tertii, vel ipsius creditoris secundum. 4. Debiti remissio. 5. Via compensationis legitimæ. 6. Cessio bonorum: sed nondum, quod in hac materia multi fiant abusus coram Deo inexcusabiles; undè si quis cedat

cedat foro, & habeat bona, quibus creditoribus
solvat, in foro poli à restituzione non excusatur:
ut nec ille, qui postquam foro cessit, postea ad
meliorem fortunam venit.

CAPUT V.

*De Injuria, & Restitutione ob Nocumen-
tum in fama, honore, & bonis
temporalibus.*

Fama est, plurium estimatio de alicuius vita
& moribus.

Honor est, Testificatio nostræ existimationis de
excellentia alterius facta per externam exhibitio-
nem reverentie, vel submissionis.

Detractio est, Occulta, & injusta ablato famæ
alterius: Contumelia autem est, injusta, & aperta,
& quasi in faciem ablato famæ alienæ; hæc est
peccatum detractione gravius, utrumque tamen
ex suo genere est mortale.

**§. I. Quomodo peccet detractor, & Quo-
modo reparandus honor lœsus?**

Variis modis potest fieri detractio, quos com-
prehendit hoc Distichon:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissecit.*

Patet ex octo his modis, quatuor priores esse
directos, posteriores quatuor indirectos. Quare
detractio directè sit imponendo falsum, ampli-
ficando verum, detegendo occultum, & sinistè
interpretando benefactum.

In-

190 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

Indirectè autem fit negando lapdabile factum, vel dotes alterius, illud, vel illas extenuando, tacendo in talibus circumstantiis, ut silentium habeatur pro vituperio: denique frigidè, languidèque laudando.

P. 1. An sit licitum sinè justa causa viro prudenti & taciturno revelare crimen occultum aliquis tertii?

¶. Neg. Tunc enim sumus causa, cur ille vir prudens desinat habere bonam estimationem de altero, qui ob illam rationem grave patitur dispendium, cum crimen supponatur esse notabile.

2. An peccet, qui revelat crimen præteritum ilius, qui olim fuit diffamatus, sed sese emendavit alibi?

¶. Aff. Et quidem mortaliter, cum in eo loco, in quo se emendavit, jus ad famam non amiserit.

3. An peccet, qui in uno genere peccati infamem, diffamet in alio?

¶. Aff. Nisi unum cum altero connectatur, quia infamis ratione unius criminis, non excidit jure ad famam respectu aliorum, quæ sunt occulta.

4. Quo peccato peccant, qui facile aures present detraCTORI?

¶. Si per hoc dent occasionem detractioni, V.G. instigando ad inchoandam, vel continuandam detractionem, peccant contra justitiam: eodem modo etiam peccat, qui sciens, detracturum interrogat. Hic modus sexui femineo

- neo admodum familiaris est, cui detrahendi modo prudens invigilet Confessarius.
5. An sit detractio revealare crimina occulta defunctorum?
- ¶. Aff. Quia adhuc possident famam, possidentque jus ad eam.
6. An sit contra justitiam divulgare crimen alij, quod prævidemus paulò post faturum publicum ipso jure per sententiam judicis?
- ¶. Non videtur peccatum grave, seclusis damnis extrinsecis, quæ fortè possent inde oriri: quia fama justè, & brevi auferenda non est magnæ aestimationis, ideoque non infertur grave documentum.
7. An liceat alicui familiari exponere injuriam, quam occultè passus est ab alio?
- ¶. Non posse sine causa, quia jus ad famam non amittitur per crimen occultum. Ex causa tamen licet, V. G. petendi consilii, vel auxiliij gratiâ, tum ad repellendam similem injuriam, si adhuc fortè metuatur, tum ad avertenda damna sequentia. Imò valde probabile est, id etiam fieri posse ad captandum solatium dolorisve lenimentum, præsertim quando injuria multùm afflit, aut ex dolore metuitur grave incommodum &c. Quia injuriosus non potest hoc rationabiliter ægrè ferre: si tamen possit obtineri solatium narrando factum, & reticendo personam, non poterit absque in justitia nominari.
8. An sit peccatum crimen occultum alterius

192 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

referre, nihil asserendo, sed merè dicendo;
hoc de tali audivi.

¶. Esse peccatum mortale contra justitiam, si
prævideas gravem suspicionem inde securi-
ram, putà quia nominas authorem, ex quo
audivisti, & is fide dignus est, vel quia simul
addis causam, propter quam crimen dicitur
ab illo perpetratum, & causa nata est ingerere
suspicionem. Saltem hoc observa in praxi,
quòd res sit valde periculosa, quia plerumque
evenit, ut ex hujusmodi narrationibus mi-
nuatur bona existimatio alterius, vel quia ge-
neratur suspicio, vel quia ad minus dubitatur
de crimen.

¶. An detractio materialis, quæ fit merè ex lo-
quacitate, sit peccatum?

¶. Aff. Si adsit sufficiens advertentia, quia licet
talis detractio non expressè sit volita, est equi-
dem volita implicitè, & interpretativè.

¶. An liceat referre crimen occultum reticen-
do personam?

¶. Aff. Si non sit periculum, nè persona inno-
tescat, aliàs non licet.

¶. An revelare crimen grave, semper sit pecca-
tum mortale?

¶. Neg. Quia contingit subinde, quòd infamatus
non adeò ægrè ferat, imò potius glorietur: ut
si dicam, generosum militem inivisse duellum.
Similiter potest contingere, quòd diffamatio
de venialibus sit peccatum mortale, quamvis
ordinariè non sit nisi veniale, ut si dicam, vi-

rum

- rum gravem, & honoratum mentiri promiscue, etiam leviter, sed artificiosè.
12. Quomodo honor proximi per ignorantiam læsus reparatur?
- ¶. Per agnitionem propriæ ignorantiae, & honoris exhibitionem.
13. Quomodo honor læsus per malitiam?
- ¶. Per submissam veniaæ petitionem, & restitutio-
nem omniū damnorum realium secutorum.
14. Quem modum restituendi famam suggesteret Confessarius ei, qui alteri detraxit per narra-
tionem defectūs veri, sed occulti?
- ¶. Modus in multis casibus obvius est hic: De-
tractor quibusdam utatur verbis amphibolo-
gicis, V.G. *Alias quid malitibi de isto homine re-
tuli, scias, quod sèpè de proximo garriendo erre-
mus: rem bene examinavi, & deprehendi, me
imprudenter dixisse.*

CASUS VIII.

*Petrus publicè est bonæ famæ, privatim scitur
esse sepulchrum dealbatum, malæ vita &c. Qua-
ritur, an publicè possit diffamari?*

¶. Neg. Seclusis documentis, quæ indè oriri possent. Ratio est, quia per peccatum occultum non perdidit jus ad famam publicam; & licet fama ejus occulta falsa sit, est tamen publicè vera, quia supponitur publicè haberi vir probus. Nemo ergò habet jus publicum ad famam publi-
cè falsam, nec jus privatum ad famam privatim falsam, V.G. respectu mei, dum crimen infame in flagranti vidi. Cum hoc tamen consistit, quod

N

fama

privatum falsa sit publicè vera, cui proinde per diffamationem fit injuria.

CASUS IX.

*Ioannes occidit de nocte Petrum, nemine, vel vix
ullo præsente; capitur vel ex præsumptione, vel ex
alio instinctu; interrogatur, trepidat, & confitetur,
vel negat, & in tortura positus, crimen aperit. Ju-
dicatur per sententiam, & vel supplicio afficitur, vel
effringens carcerem, evadit judicis manus: Qua-
ritur, an Joannem in hac civitate infamem, possum
infamare in alia?*

Prænotandum pro hujus, & similium casuum decisione, crimen posse esse publicum ipso jure, vel ipso facto. Dicitur publicum ipso jure, quando constat de crimen per Confessionem, vel convictionem delinquentis in judicio, vel per sententiam subsecutam.

Dicitur publicum ipso facto, quando crimen perpetratum est in talibus circumstantiis, ut moraliter loquendo nequeat celari, V. G. Petrus in foro publico pluribus adstantibus occidit Joannem, hic est homicida publicus ipso facto. Ad Casum propositum

R. 1. Non est contra justitiam, Joannem per sententiam publicam infamem in uno loco, diffamare in alio, quia non habet jus ad suam famam, quandoquidem infamia sit pars pœnæ criminis à judice inflictæ, neque hujusmodi pœna est irrationalis, quia servit bono publico.

Attamen sæpè caritas jubet diffamati crimen tacere, dum sententia ad locum alium non per-
venit:

venit: sæpè enim vel emendaturus sc., vel alias grave damnum passurus, rationabiliter postulat famam suam servari.

RE. 2. Est contra justitiam, si Joannes præcisè ratione sui facti infamis esset in uno loco, infamare in alio, ad quem notitia criminis non poterat ita facilè pervenire, quia ratione sui delicti non amittit jus ad famam, nisi quantum notoreitas facti postulat; si autem notitia criminis facilè erat perventura ad aliqua loca, & in iis citra injustitiam poterit Joannes diffamari: peccabis autem contra justitiam, si Joannem infamem, qui vel ob diuturnitatem temporis, vel oblivionem eorum, qui fuerunt consci, vel benè vivendo famam recuperavit, rursus diffames, quia habet jus ad famam præsentem.

CASUS X.

*Quomodo agendum cum pœnitente, qui simpli-
citer dicit: Detraxi famæ alterius?*

RE. Petendum 1. An graviter famam alterius læserit? Si ita: 2. Quoties id fecerit, quot personis? 3. An coram multis? 4. An per impositionem criminis falsi, an veri, sed occulti? His cognitis, admonendus pœnitens de obligatione restituendi damna, si quæ ex detractione sint se- cuta, de amovendis damnis fortè securis, de reintegranda fama læsa. Si detraxerit ex falso, fateatur se errasse, etiam cum periculo infamie,

si aliter fieri non possit; si ex vero, servet modum petitione 14. as- signatum.

CAPUT V.

*De injuria, & restitutione ratione stupri,
& adulterij.*

STUPRUM variè accipitur apud Authores. 1. **L**atiūs accipitur pro omni illicita violatione feminæ, et si foret vidua. 2. **S**trictè sumitur pro corruptione virginis extra matrimonium. 3. **S**trictiūs pro violentia virgini illata. Hic agemus de stupro in 2. & 3. acceptione sumpto.

§. I. De restitutione ratione stupri.

1. **A**D quid tenetur stuprator virginis, si non promisit ei matrimonium?

2. Si corruptit virginem ultrò se offerentem, aut leviter rogatam, & consentientem, non teneatur ei in conscientia, vel patri restituere; quia dum spontè consentit, censetur puella, quæ habet dominium integratæ corporis quoad usum, omnem aliæ debitam restitutionem remittere.

Nec refert, quod parentes ob stuprum debeat suæ filiæ dotem longè majorem, quia potest filia manere innupta: deinde quando consentit in sui deflorationem, censetur cedere juri suo, quod potest habere ad nuptias statui integro convenientes.

2. An, qui Virginem ultrò consentientem corruptit, non teneatur saltem ad restituendum patri, & ejus familiæ honorem ablatum?

2. Cùm patri cum à corrupta filia, cum à stuprato non exigua inferatur injuria, uterque videtur secundùm rigorem justitiae obligari ad aliquam satisfactionem patri præstandam, non quidem in bonis fortunæ, sed vel per veniam petitionem, vel per aliam honoris exhibitionem, nisi pater remittat.
3. Ad quid tenetur struprator virginis, qui vi, vel fraude usuram corporis extorsit, etsi absque promissione?
4. Vel tenetur eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ratio est, quia tunc damnum per injuriam illatum est, ergò debet reparari: hoc autem fieri vel matrimonio, vel damni æstimatione.
4. An casu, quo deflorator eam non ducit in uxorem, tenetur ad dandam ei dotem integrum?
5. In foro conscientiae, & ante condemnationem non esse obligationem dandi supra dotem, quam alias à patre, vel aliunde haberet, addere quantum sufficit, ut possit æquè bene nubere, sicut antea: hoc enim modo reducitur ad æqualitatem damnum illatum.
5. Quid si stuprator non adhibuerit vim, vel dolum, sed importunis precibus, vehementissimis blanditiis, & persuasionibus induxit virginem ad consensum?
6. Tenetur ad restitutionem, quia virgo est aliquo modo coacta, & seducta. Sollicitationes vehementes istæ sunt, in quibus ipsa virgo

198 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

repugnans incipit oblectari per amplexus, & oscula, & tactus impudicos, per quæ omnia virgo valdè afficitur, & tandem admittit stuprum.

Ratio hujus est, quia moraliter loquendo non potest se defendere, opus enim habet heroicā virtute, ut vincat talem tentationem.

6. Ad quam restitutionem obligatur stuprator, si sit valdè dives, & virgo valdè pauper?

¶. Tenebitur judicio prudentum ad aliquam restitutionem faciendam in pecunia pro dote, vel parte dotis, etiamsi voluntariè admiserit stuprum, ut docet Bannes, quia inter similes personas implicitum aliquod pactum intervenisse credendum est, quo meritò judicant, & humanam habent fiduciam, quod dotabuntur, sicut solent facere alii veri similes.

7. Ad quid tenetur, qui stupravit virginem promisso matrimonio?

¶. Si virginem renitentem sub spe matrimonii corruperit, tenetur eam ducere, non vi promissionis, quæ facta est ob turpem causam, sed ratione doli, quia aliàs puella foret graviter decepta, & ingens damnum pateretur ex fraude corruptoris, promissis stare renuentis: & licet promissiones ob turpem causam nihil roboris habeant jure naturæ, tamen jure gentium, & consuetudine populorum vim, & valorem obtinent.

Excipe à resolutione generali quosdam Casus particulares.

1. Si

1. Si sint in statu, & vitæ conditione dispare, ut vir quidam sit illustris, vel nobilis, aut officio, vel dignitate conspicuus; femina verò sit vel rustici hominis, vel opificis filia, vel ancilla. Ratio est, quia femina non potest conqueri se esse deceptam, cùm facilè potuerit intelligere promissionem talem non fieri ex animo, præstitam ab homine adeò excedente statum vi- lioris personæ.
2. Si ex aliis conjecturis, ut ex ambiguitate ver- borum, ex inconstanti sermone, ex nimis exaggerationibus puella poterat deprehendere fictionem; quia si fraudem potuit ad- vertere, non præsumitur decepta.
3. Si dicenti se virginem promisit nuptias, ut eā potiretur, & tamen deprehendit non esse virginem, quia tunc ipsa virum decepit.
4. Quando vir est paratus ad ducendam illam, quam violavit, sed ipsa, vel ejus parentes re- pugnant, an vir teneatur aliter satisfacere?
5. Neg. Quia ipse non se obligavit disjunctim ad matrimonium, vel ad dotem dandam, sed ad matrimonium determinatè; ergo si hoc sínè sua culpa impeditur, non tenerur ad illud, nec ad aliquid aliud, quia ad istud sc̄ non obligavit.

C A S U S XI.

Femina quadam injustè violata estimabatur communiter virgo, non tamen erat talis: an violator injustus teneatur ad eamdem restitutionem facien- dam, ac si fuisset virgo?

N 4

R.

¶. Vel copula fuit occulta, ex qua nulla fuit infamia, vel aliud damnum consecutum, & ad nihil tenetur, quia tunc nulla est obligatio restitutionis ex injuria, quando ex illa nullum relinquitur damnum: vel copula fuit nota, & inde infamia secuta, aut difficultas major ad nuptias, & tum restitutio aliqua facienda est pro qualitate damni, & lassionis.

C A S U S XII.

Antonius novit Catharinam esse corruptam, nihilominus ei promittit matrimonium, ut ejus fruatur corpore, uterque est pars conditionis, Quæritur, an teneatur eam ducere?

¶. Si verè, & ex animo se obligandi promittat, non videtur esse dubium, quin obligetur propter dolum; si verò fictè promittat, existime probabiliter eum non obligari, si non timetur infamia: non enim tenetur ad matrimonium ratione promissionis, urchote quæ nulla fuit, & non tanti æstimatur copula cum corrupta, ut matrimonio debeat compensari, non ratione damni, cum nullum, ut suppono, secutum sit; solùm ergò tenetur judicio prudentis compensare copulam, per talem injuriam obtentam,

§. 2. *De restituzione ratione adulterij.*

¶. **A**D quid tenetur adulter secuto partu?

¶. Tenetur ad reparationem omnis damni illati marito adulteræ, proli legitimæ, aut haeredibus legitimis. Damna, quæ tenetur reparare adulter, numerantur, 1. Expensæ, quæ sunt

fuit
& ad
estim
re
indē
tias,
itate

eius
Qua
mit
getu
timo
netu
m ra
non
atri
mni,
olūm
e co

ij.

amni
hæ
r re
quæ
junt

funt ad alendam prolem illegitimam, computando ab anno tertio expleto. 2. Quod proles illegitima fiat hæres bonorum mariti in totum, vel in partem. 3. Quod accipiat dotem in ordine ad matrimonium, statum Religiosum &c. 4. Quod fiant expensæ, ut altioribus studeat scientiis, ut promoveatur ad officium &c.

2. Quid faciet adultera, dum adulter deficit in reparatione damni?

R. Tenetur, quantum possibile est, allaborare, ne proles legitima patiatur damnum: undē si habeat bona sūlæ liberæ dispositioni relictæ, vel possit aliquid lucrari ex proprio labore non debito familiæ, indē, aut alio modo tenetur providere legitimæ proli. Suaviter poterit inducere spurium, non tamen importunè cogere, ad suscipiendum certum vitæ genus, quod paucis expensis amplecti potest.

C A S U S XIII.

Adultera prædictis modis non potuit avertere damnum legitime proli, morti vicina convocat utramque prolem, legitimam, & illegitiman, & ita affatur: *Filiū mei, ut satisfaciam conscientiæ mee,* declaro unum ex vobis esse spurium, vultisne vobis manifestari: *Quaritur, an adultera benè fecerit?*

R. Peccavit ex dupli capite: 1. Quia sic prolem legitimam infamavit, in quantum eam reddidit suspectam illegitimitatis. 2. Quia incusit proli legitimæ gravem metum injustum, ratione cuius renuntiavit juri, quod habebat ad pinguorem hæreditatem.

N 5

C A

202 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.
C A S U S X I V.

*Adultera filium illegitimum supposuit tamquam
legitimum, adultero non suadente, imò forte eam
deterrente, an adulter in tali casu teneatur resti-
tuere partem hereditatis, quam cernit filium illegi-
timum cum aliis legitimis habuisse?*

R. Si id factum fuerit communis consilio, non
est, qui dubitat, quin uteque teneatur ad resti-
tutionem omnium damnorum pro rata æquè
primo: Si autem adulter non suaserit, neque con-
senserit, ut proles illegitima supponeretur tam-
quam legitima, non est dubium, quin adhuc te-
neatur ad alimenta prolis illegitimæ post trien-
nium, cùm hæc proli debeantur, donec possit
sibi alimenta conquerere: quoad alia verò
damna, quæ nascuntur ex suppositione, plurimi
existimant, etiam ad hæc eum teneri, sed existi-
mo id solum verificari, quando suppositio prolis
non potuit commodè evitari, vel adulter non
adhibuit sufficientem diligentiam ad evitandum:
aliás enim si suppositio prolis illegitimæ potuerit
commodè evitari, & in hoc studiosè incubuerit
adulter, non video, quâ ratione adulter susci-
pere debeat illa onera, quia non sunt illi volun-
taria, & qui, ut non accideret, de contingentibus
nihil omisit: proinde si adultera procurâisset sibi
abortum, non censeretur adulter causâ homi-
cidii, nisi forte suassisset, vel adjuvisset; ergo
similiter; par enim est ratio utriusque.

C A S U S X V.

*Duo conjugati, aut duo soluti uno, eodemque die
cam-*

eamdem cognoverunt feminam, non sunt conjecturæ rationis, ad præsumendum magis esse prolem unius, quam alterius, nūdē est æquale dubium, uter sit pater: Quæritur, à quo debeat accipere alimenta?

R. Uterque debet ex parte concurrere ad alimenta, quia certum est, esse alterius filium. Ratio est, quod filius jure naturæ habeat actionem adversus patrem, ut sibi alimenta præbeantur; cùm ergo constet illum esse genitum ab uno illorum, & determinatè sciri non possit, uter sit ejus pater, nè talis actio, & debitum inutile reddatur, inter utrumque debet dividi.

C A S U S XVI.

Quid faciendum cum illo in Casu restitutionis, qui dicit: *Dubito, an ex copula, quam habui cum uxore alterius, nata sit proles, & tamen post copulam nata est proles, sed dubitat, utrum sua sit, an teneatur ad aliquam restitutionem?*

R. Quod teneatur ad damni restitutionem proportione dubii. Ratio est, quia aliàs melior foret conditio nocentis, quam innocentis, quia maritus adulteræ est innocens, & tamen deberet subire periculum alendi fortè alterius prolem. Quod autem adulter secundùm hanc sententiam illud onus debeat subire, imputet suo delicto.

C A P U T VI.

*De damno in corpus per mutilationem,
& homicidium.*

HOC præcepto. *Non occides, prohibetur sola, & omnis occisio hominis, quæ sit authoritate*

204 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

itate propriâ. Præceptum illud, *Non occides*, est omnino generale, omnes semper, & ubique obligans, in quo nullâ lege possit propriè dispensari, cùm sit lex naturæ, cui est proprium, hominem omnem obligare, idque semper, ac prorsus inviolabiliter.

Collige tamen, authoritatem Divinam aliquando quosdam casus excepisse generaliter, aliquando specialiter injungendo aliquorum occasionem, uti sæpè factum est in Veteri Testamento: *Tu enim es Dominus, qui vita, & mortuus habes potestatem.* Divina authoritas non nisi tres exceptiones fecit à lege sua generali: 1. Scilicet lege generali permittendo, ut justa bella gerantur. 2. Dando gladium publicæ potestati, ut malefactores, & Rei-publicæ noxios occidant. 3. Jussione speciali, aut supernâ inspiratione aliqui, vel aliquibus mandando, ut se, vel alium interficiant. *His autem casibus exceptis, quisquis se, vel alium occiderit, homicidij crimine innectitur.* S. Aug. l. i. de Civ. cap. 20.

P. i. An sit licitum occidere invasorem bonorum temporalium, etiamsi sine occidente invasoris conservari non possint?

R. Neg. Quia occidere proximum pro defensione rerum temporalium, est contrà præceptum *Non occides*: quia omnis occisio hominis privatâ authoritate facta, est verum homicidium, cùm non reperiatur authoritas data ab auctore vita: sed contrà, hoc prohibitum intellegitur cap. si perfodiens, ubi dicitur, furum diur.

diurnum occidi non posse, & additur hæc ratio: *Quia poterat discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset.*

2. An liceat occidere invasorem pudicitiae, famæ, & honoris?

R. Neg. Quia ex nullo capite constat, datam esse ejusmodi authoritatem ab eo, qui est author Deus vitæ & necis.

3. An sit contra justitiam & caritatem occidere inustum vitæ aggressorem?

R. Neg. ad utrumque; servato scilicet moderatione inculpatæ tutelæ. Constat ex citato cap. *superfodiens*, de homicidio, ubi ex S. Aug. q. 84. super Exodum dicitur, furem nocturnum posse occidi, non verò diurnum, adjectâ hæc ratione: *Quia poterat discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset.* Eadem autem quæstione dicit: *Non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur.*

Hoc maximè locum habet, si invasus sit in statu peccati mortalis. Enim verò quis tali invaso in occasione inflammati sanguinis, aspectus inimici, strictique gladii posito spondebit caritatem, quæ ad justificationem sufficiat, & salutem? &c. Conjicias aliquid, spondere quid certi non potes. Ubi autem amor incipit à seipso, cur caritas proximi me tam strictè obligaret, ut à conjecturæ alea sors meæ pendeat æternitatis?

4. An judici liceat capitis damnare eum, qui publicè probatur nocens, quem privatâ scientiâ novit innocentem?

R.

- ¶. Judex talis respiciat legem Exodi 23. latam: *Insontem, & justum non occides. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devi.*
5. An data sit facultas occidendi seipsum absque mandato Rei-publicæ, vel se mutilandi?
- ¶. Neg. ad 1. Ad 2. autem dico, id non licet sine justa causa. Ratio est, quia homo non est dominus vitæ suæ, & membrorum. Hinc sequitur, peccâsse Lucretiam occidendo se ipsam, nec ab illo peccato ullam posse excusari matronam propter odium stupri, quod violenter passa est.
6. Quomodo homicida, & mutilator obligantur ad restitutionem?
- ¶. 1. Qui alterum injustè occidit, vel mutilavit, tenetur ad restitutionem damni in curatione, & morte factam. Item ad compensandum damnum emergens, & spem lucri cessantis, quod ex arte, vel industriâ lœsi, aut defuncti provenisset. Ratio est, quia hæc omnia illi sunt imputanda, adeoque subest titulus injustæ damnificationis.

Debet autem spes lucri æstimari ad arbitrium prudentis viri, detractis expensis, quas occisus, vel lœsus erat facturus in procurando lucro, casu quo mansisset illœsus: item attentâ ætate, robore, & complexione occisi, nec non periculo, cui illud lucrum erat obnoxium: nam juvenis V. G. robustus, & firmæ valetudinis plus lucri sperare potest, cæteris paribus,

quam

quam valetudinarius, delicatus, aliusve, qui forte ratione senii, vel aegritudinis brevi erat moriturus.

¶. 2. Qui liberum hominem injuste occidit, aut mutilavit, non tenetur pecuniâ, vel alio simili compensare vitam secundum se, vel membrum deperditum: quia vita, & membra secundum se, & quoad substantiam non sub- jacent dominio hominis, sed Dei, adeoque soli Deo per pœnitentiam est satisfaciendum.

C A S U S XVII.

*Quid faciendum Confessario, si uxor confiteatur:
Habui rixas cum meo marito?*

Petendum 1. quoties habuerit tales rixas, & an non habeat rixandi consuetudinem? 2. An de- derit causam rixandi? Quod si ita, 3. An non dederit domesticis scandalum &c. Tollenda hîc radix per media præscribenda, & efficaciter in- dicenda uxor ad pacem ineundum. Si dicat, maritum dare causam dissentioni, eò quod sæpè se inebriet, familiam turbet, domesticos scan- dalizet; inquirendum, 1. An non excescerit rixando? Tunc admonenda, ut bonitate ma- ritum flectat. 2. An non negaverit marito debi- tum, ad quod sub gravi obligatur. 3. An ma- ritu non maledixerit &c. Tandem præscriben- da remedia, quomodo in similibus casibus se gerere debeat, infirmitates mariti, durante tem- pore ebrietatis, supportando, opportunius præstolando, quod melioris instructionis ca- pax est.

C A-

108 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.
CASUS XVIII.

Quid faciendum cum illo, qui simpliciter diceret: occidi hominem?

Res. Petendum, an fuerit homicidium voluntarium, an casuale; inquirendum, an merè inadvertenter & præter omnem intentionem alium occiderit, adhibitâ sufficienti diligentia, tunc enim, sicut non peccat, ita etiam non obligatur ad restitutionem: si autem sufficientem non adhibuerit diligentiam ad mortem præcavendam tui proximi, putà, si juxta viam publicam venando, in qua solent transire multi homines, ibi explodat, existimans occidere feram, & occidit hominem; vel si ex fenestra domûs claro die ejiciat ligna in plateam populo frequentatam, & nullam, vel parvam adhibeat diligentiam: sed autem major est adhibenda diligentia, quò majus est periculum, quod imminet. Ut cognoscas quantum peccet casualiter occidens, accipe duas regulas, quas ex lib. 5. Decret. tit. 12. adducit Molanus Doctor Lovan. in compendio Theologiæ practicæ Tract. 2. cap. 12.

Is, qui facit actum licitum, tantum peccat, quantum est ejus negligentia.

Is, qui facit actum illicitum, undè probabiliter mors sequitur, is in tantum occidendo peccat, quantum est peccatum actus, quem illicere perpetrat.

Si dicat pœnitens, quòd voluntariè aliquem occiderit, petendum 1. an alium invaserit, vel an occasionem dederit, quòd alter cum invase-

rit, an autem ab alio invasus fuerit? Si invaserit alterum, 2. petenda ratio, an ex odio, vel vindicta? An ex ira, & subitanea passione? An merè ad alterum injuriandum? An ad mandatum, vel consilium alterius? An ad defendendum suum honorem, & famam? An ad defendenda bona fortunæ? &c.

Si dicat, se ex ira, & passione alium invasisse, & occidisse, petendum, an id non fecerit ex aliqua passione obnubilante rationem, sic ut non fuerit sui compos, tunc enim multum diminuitur de culpa, nisi passionem hanc prævidere potuerit, quâ ratione non excusantur ebrii, tempore ebrietatis ad iras proni &c.

Si dicat, quòd ex mero odio, vindicta, vè invidia alterum invaserit, & occiderit, petendum, qualis fuerit persona, quam occidit, an Clericus? Tunc est sacrilegium: an parentes? An cognatos intrà quartum gradum? Sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes. Petendum, à quo tempore habuerit animum occidendi, & quoties renoverit propositum? Et cum obligandus ad restitutio-
nem parentibus, uxori & liberis occisi evenientium damnorum, si reverà ex isto homicidio sequantur, conformiter ad ea, quæ resolvimus petit. 6. Deinde monendus de contracta inabilitate perpetua ad S. Ordines, atque beneficia, & officia Ecclesiastica, ut constat ex Conc. Trid. sess. 14. de Reformatione, in qua inabilitate nullus, nisi Pontifex dispensare potest, si homicidium sit voluntarium, licet sit occultum. Hæc

O

re-

270 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

resolutio locum habet, dum alter alterum occidit ad conservanda bona fortunæ, tuendam famam, ad defendendam pudicitiam. Denique tandem, si nihil obstat, & videatur pro qualitate criminis sufficienter contritus, si habeat Confessarius autoritatem absolvendi à reservatis, absolvat.

Pœnitentiam homicidis voluntariis imponendam præscribit Paulus Comitolus in suis Responsis Moralibus l.4. q.11. n.8. & ex illo Diana d.5. tract. 4. respons. 43. *Hæc meo quidem animo salutaris esset, ut imperfecti propinquis supplicem se offereret, delictique veniam deprecaretur, ut iisdem damna sarciret, ut pro salute occisi singulis hebdomadis per annum unum integrum saltem sacrificium Missæ, si tunc ei sit in bonis, fieri curet.* Ut singulis item hebdomadis Eleemosynam aliquam pro illius anima per totum annum largiatur egentibus, ut per eundem annum, si legendo gnarus sit, Litanias, aut si ignarus, coronam beatissimæ Virginis quotidie flexis genibus recitet. Ut octavo quoque die per annum Sacramento Pœnitentiae sua peccata expiat, & singulis mensibus (si dispositus sit) Eucharistiam sumat, ut in omni vita quotidie semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pronuntiet, terram genibus tangens pro anima occisi. Hæc laudatus è Societate JESU Paulus Comitolus.

C A S U S X I X.

Quid faciendum cum illo, qui dicie: Habeo daellum?

RE. Primò ab ipso petendum, an alterum pro-

VO-

vocaverit ad duellum, an verò provocatus fuerit? Quia provocans sive dubio gravius peccat. 2. An à longo tempore odium habuerit erga alium, quem provocavit, & quoties renovaverit propositum alterum provocandi? Et hoc maximè, si quandoque voluntas fuerit interrupta. 3. Qualis fuerit persona, quam provocavit? 4. An non sollicitaverit alios, ut essent patrini in duello, & quot? 5. An alterum occiderit in ipso duello? Tunc enim admonendus de pœnis in homicidas voluntarios constitutis, pro quibus vide casum præcedentem. Proponendæ etiam sunt speciales pœnæ, quas Conc. Trid. in duellantes tulit, simul & patrinos. Punit eos excommunicatione, bonorum præscriptione, perpetuâ infamia, & in eo confliktu morientes Ecclesiasticâ sepulturâ. Has pœnas extendit Gregorius XIII. ad duella etiam privata, & Clemens VIII. absolutionem excommunicationis reservat, à qua ramen absolvere possunt Episcopi, si delictum sic occultum, & nondum ad forum contentiosum deductum. Quantum ad infamiam, bonorum præscriptionem, loci amissionem, beneficiorum, & officiorum, illa non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis.

Si dicat se provocatum ad duellum, interrogandus est, an duelli susceptio fuerit necessaria ad defensionem suæ vitæ, & an non fuerit spes mortem evadendi, nisi cum illo digladietur? Si non, tunc moraliter censetur justa vitæ suæ defensio. Si autem suscepit duellum ad defen-

212 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS:
dendum suum honorem, animositatem, &c. sub-
jacet pœnis suprà dictis.

TRACTATUS
DE
CONTRACTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Contractu in genere.

§. 1. *De natura Contractus.*

Contractus strictè sumptus definitur: *Duo-
rum, pluriumve libera conventio, gignens
mutuam obligationem.*

Alius est explicitus, implicitus aliis. Alius lu-
crativus, in quo pars altera nihil rependit, ut
promissio liberalis, commodatum, &c. Alius on-
erosus, in quo aliquid rependitur, ut *emptio,
venditio &c.*

P. 1. An ad valorem contractus requiratur vo-
luntas præstandi ea, ad quæ contractus obligat?

¶. Neg. Quia contractus solum requirit consen-
sum, quo suscipitur obligatio ad aliquid præ-
standum: potest autem quis absolute consen-
tire in obligationem, volendo se obstringere
ad aliquid præstandum, quamvis in execu-
tione id præstare nolit, sed fallere intendat.

2. Qualis consensus ad valorem contractus re-
quiritur?

¶. In foro fori sufficit consensus verbis expressus, quia cum homines internas voluntates immediatè intueri nequeant, de illis per externa humanæ societatis signa judicant: in foro conscientiæ requiritur consensus internum: contractus enim essentialiter requirit consensum in obligationem: verba autem consensus non efficiunt, sed dumtaxat significant.

3. Quomodo error, & dolus contractum vitiant?

¶. 1. Error, & dolus circa substantiam rei contractum quemlibet enervant penitus: tunc enim deest verus consensus. Qui emit vitrum, putans esse gemmam, non consentit in vitrum.

¶. 2. Si error circa qualitatem rei sit antecedens, & contrahens à qualitate, quæ ad contractum movet, tamquam à conditione vim sui consensus expressè suspensam velit, contractus corruit, quia deficit conditio, à qua valor contractus ex intentione contrahentis pendet: si autem error tantum sit concomitans, contractus subsistit, quia revera hic & nunc se obligat.

4. An valeat contractus initus ex metu?

¶. 1. Contractus initus ex metu gravi proveniente à causa naturali, est validus, ut si quis metu infamiae contrahat matrimonium cum sua concubina.

¶. 2. Dum contractus initur ex metu gravi injustè incusso, qui ad extorquendum contractum non ordinatur, labore suo non destituit, ut si quis timens expugnationem civitatis injustè ob-

214 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

obseßa, offerat inire matrimonium cum sorore principis obſidentis, ſuppoſito, quod civitas in illum finem non obſideatur. Ratio eſt, quia licet contrahens poſſit merito conqueri de tali metu, non poſteſt tamen conqueri de illo, quatenus contractum reſpicit.

q. 3. Dum metus gravis, ad extorquendum contractum ordinatus, incutitur, ſed iuſtè, contractus validus eſt, tam jure naturali, quam poſitivo, cum coactus rationabiliter conqueri non poſſit, quod pleniori non gaudeat liber-
tate.

q. 4. Si metus gravis incutiatur iuſtè, & ad extorquendum conſenſum ordinetur, contractus tum onerosus, tum lucrativus jure naturæ eſt invalidus. Sub hoc metu etiam comprehendere metum reverentiale, qui naſcitur ex reverentia parentibus debita, præſertim ſi graves addantur minæ. Ratio eſt, quia tunc deest conſenſus liber ea libertate, quam æquitas naturalis, & jura ſocietatis humanæ poſtulant: ſiquidem rationi conſonum appetet, ut nemo abſque cauſa rationabili obligetur ex contractu, niſi ſpontè volens, ſecurèque conſentiens. Idipſum ſtatuitur cap. *Ad audi-
tiam, de his, quæ vi, metusve cauſâ fiunt, carere debent robore.*

5. An iuramentum promiſſorium, gravi metu iuſtè extortum, jure naturæ obliget?

q. Multo probabilior, & practicè ſecurior eſt ſententia affirmans. Conſtar ex variis capitulis,
& ſ.

& S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. Accipe Cap. unum pro multis. Cap. Si verò. de jure jurando, ubi Alexander III. rogatus ab Archiepisco po Senonensi, quid agendum sit, si aliquis alterum gravissimo metu sub religione jura menti jus suum refutare coegerit, ipsumque sibi retinuerit; respondet: *Non est tutum quem libet contrājuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeterna: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contrajuramentum proprium, ne anchoras perjurii videamur.*

§. 2. *De Contractu conditionato.*

P. 1. **A**N conditio de praesenti, vel praeterito suspendat contractum?

R. Neg. sed simul ac conditio existit, conventio statim vim habet; si autem non existat, pactum ab initio nullum est: quia quisquis ita contrahit, animo sic affectus est, ut supposita conditionis existentiā, contractū illicè valere velit.

2. An conditio de futuro contingentī suspendat contractum usque ad eventum illius?

R. Plerumque, quia contrahentes animo sic affecti sunt, vel esse solent, ut eventum conditionis velint exspectare, & efficaciam sui consensū interea suspendant.

Dixi: *Plerumque*, quia si contractum ab initio valere velint, supposito quod conditio ponenda sit, contractus ab initio, aut valet, aut omnino irritus est.

3. An contractus, sub conditione de futuro initus, posítâ conditione statim valeat?

¶. Aff. Quia posítâ conditione non est amplius ratio suspendendi efficaciam consensūs, & obligationem contractūs, qui proinde ex conditionato transit in absolutum.

4. An, qui contraxit sub conditione de futuro, pendente conditione possit resiliere?

¶. Neg. Quia taliter contrahendo injecit sibi obligationem exspectandi eventum conditionis, & illâ posítâ contractum ratum habendi.

5. An valeat contractus initus sub conditione impossibili, aut turpi?

¶. 1. Omnis contractus sub conditione impossibili initus jure naturæ est invalidus.

¶. 2. Conditiones turpes, quæ apponuntur ut obligatoriæ, æquiparantur impossibilibus, & contractum jure naturæ destruunt.

Dixi: *Speciatō jure naturæ; quia quamvis conditiones impossibile, & turpes etiam à jure positivo ut irritantes habeantur, in testamētis & matrimoniis habentur pro non adjectis.*

Hoc intellige de conditionibus turpibus, quæ non sunt contra matrimonii substantiam, quales sunt, si alter dicat alteri: *Contra hoc tecum, si generationem proliis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorēm, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Greg. IX. cap. Finali de conditionibus appositis.

CA

CASUS I.

Petrus promittit Paulo florenos centum ℥. Si inimicum Petri occiderit; queritur, an patrato homicidio obligetur Petrus ad dandum centum Paulo?

R. Si Petrus non intendat alterum obligare ad homicidium perpetrandum, sed vim, & efficaciam sui consensūs usque ad positionem occisionis suspendens, & ipsā positā se obligare velit ad prædictam pecuniæ summam, contractus vindetur jure naturæ subsistere.

§. 3. *De Promissione, Donatione, Deposito, Commodato, & Precario.*

Promissio est, *deliberata, & gratuita fidei obligatio alteri facta de re licita & possibili præstanda.*

1. An promissio obliget ante acceptationem?

R. Neg. Saltem ex justitia: quia promissio ante acceptationem, nondum est contractus.

Dixi: *ex justitia*, quia promissio nondum acceptata obligare potest ex veritate; si enim exteriūs quidpiam promittam absenti, teneor efficere, ut verba mea suam sortiantur veritatem.

2. Quomodo promissio exteriūs facta obligat?

R. Obligat ex justitia, quamvis non sit onerosa, sed liberalis. Ratio est, quia ejusmodi promissione jus acquiritur promissario, & promissor fidem suam obligat, quæ est fundamen- tum justitiae. Promissio obligat sub gravi, si materia sit gravis.

218 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

3. An promissio ob turpem causam facta obliget?
R. Neg. Nequidem opere perpetrato, quia prius
quam opus ponatur, promissio est nulla: si
flagitii faciendi, vel facti causâ concepta sit si-
pulatio, ab initio non valet. Lege 123. ff. De ver-
borum obligationibus: Ergo etiam opere per-
petrato similis promissio nihil roboris habet:
Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab
initio non subsistit. Ita regula 18. Juris in sexto.

4. Quid est donatio?

R. Est gratuita doni collatio, quae fit absque debito
iustitiae ex parte donatoris, & nullam iustitiae
obligationem parit in donatario.

Donatio alia *inter vivos*, quâ donator vult,
rem donatam se vivo fieri alterius; alia est do-
natio *mortis causâ*, quâ tantum post mortem
suam rei dominium vult translatum.

5. Quinam donare possunt?

R. Illi soli, qui dominium habent suarum re-
rum, & facultatem à jure non impeditam.

6. Assigna aliquos casus, in quibus revocantur
donationes.

R. 1. Donatio *mortis causâ* potest revocari à do-
natore, quamdiu vivit, quia voluntas homi-
nis usque ad mortem est ambulatoria.

R. 2. Donatio *inter vivos* potest quandoque re-
vocari etiam post rei traditionem. 1. Quando
est inofficiosa, id est, quando facta est contra
officium paternæ pietatis erga liberos, ut si
proles ideo carere debeat legitimâ portione:
constat ex Lege 1. Codice de inofficiosis donatio-

ni.

nibus lib. 3. tit. 29. 2. Ob ingratitudinem donatarii, V.G. si atroces injurias verbo, vel facto intulerit donatori, vel si gravamina, ad quæ in donatione se obstrinxerat, adimplere contemnat.

¶. 3. Donatio revocari potest ob prolem legitimam ex insperato natam. Constat ex lege 8. Si umquam Cod. de revocandis donationibus: quia non censetur donator voluisse casum illum comprehendere.

7. Assigna aliquos casus, in quibus promissio definit obligare.

¶. 1. Si executio fiat impossibilis, aut illicita.
2. Si relaxetur à promissario, vel alio auctoritatem habente. 3. Si talis mutatio superveniat, ut promissor non censeatur casum illum voluisse comprehendere. 4. Si promissarius fiat insigniter ingratus.

8. Quid depositum, comodatum, quid precarium?

¶. 1. Depositum aliquando sumitur pro re deposita, aliquando pro ipso contractu, seu depositione. In hac ultima acceptione definitur: *Contractus, quo res alterius custodia committitur, ut integra restituatur.*

¶. 2. Comodatum, & precarium quandoque etiam accipiuntur pro contractu, quandoque pro re commodata, vel precario data.

Contractus comodati est, rei quo ad usum gratuitata concessio, usque ad certum tempus, ante quod repeti non potest. Contractus precarii est, rei quo ad usum gratuita concessio, quovis tempore revocabilis.

CA-

C A P U T II.

De Testamentis &c.

§. I. Quid, & quotuplex ultima Voluntas?

Ultima voluntas est voluntatis nostra justa sententia de eo, quod quis vult post mortem suam fieri. Communiter recensentur hæ quasi species, scilicet *Testamentum, Codicillus, Legatum, Fidei-commisum, & Donatio mortis causâ.*

Testamentum est, Voluntatis nostra sententia, quâ Hæres immediate instituitur, directè quidem, & ex propriâ talis dispositionis naturâ, non autem ex privilegio: quod ultimum addo, ut excludatur Codicillus militis, quo ex speciali privilegio potest directè hæres institui, ut patet ex lege 36. Militi. ff. de testamento militati l. 29. tit. 1.

Testamentum solempne requirit septem testes rogatos, masculos, puberes, & subscribentes.

Excipitur 1. *testamentum militare, 2. Ruri, vel coram Principe factum. 3. Testamentum inter liberos, ad quod solum requiruntur duo testes, possuntque esse feminæ, nec debent esse rogati, aut subscribentes.*

Codicillus est, ultimæ voluntatis dispositio, quâ circa testamentum aliquid explicatur, demittitur, additur, aut aliter immutatur absque hæredis institutione. Requirit quinque testes non necessariò rogatos, inter quos possunt etiam esse mulieres.

Fidei-commisum est, ultima voluntatis dispositio,

scio, quā testator sui haredis fidei aliquid committit tradendum alteri. Numerus legitimus testium fidei-commissi quinarius.

Legatum est, ultima voluntatis dispositio, quā testator ex eo, quod universim haredis foret, aliquid alteri directis verbis confert.

§. 2. **Expenduntur cætera ad hanc materiam spectantia.**

P. 1. **A**N testamentum ad pias causas valeat independenter à solemnitatibus jure civili requisitis?

R. Aff. & constat ex Cap. Relatum i. ubi Alexander III. ita scribit: *Relatum est, quod cum ad vestrum examen super relictis Ecclesia causa deducitur, vos, nisi septem, vel quinque idonei restes intervenerint, inde postponitis judicare, &c. mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

Ut valeant Testamenta, Codicilli &c. in foro conscientiæ, non requiruntur duo, tresvè testes, sed tantum ut valeant in foro externo: hinc si ponantur omnia, quæ jus naturæ postulat, licet nullus ad sit testis, testamenta ad pias causas sunt in foro conscientiæ valida.

2. An testamenta solemnitatibus destituta valeant ad causas profanas?

Bk.

222 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

¶. Utraque sententia valdè probabilis est: magis placuit Magistris nostris Petro Aragonio, & Michaëli Salonio sententia negans hāc ratione motis, talia testamenta & indubie possunt per leges irritari ob periculum fraudis, de facto absolutē irritantur, ut constat ex §. 7. instit. Quibus modis testamenta infirmentur, lib. 1. tit. 17. ubi dicitur: *Imperfectum testamentum sine dubio nullum est.* Et clarius lege 12. *Si unus Codice de Testamentis. Si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum.* Igitur sicut matrimonia clandestina, & donationes pupillorum sine consensu tutorum factæ nulla sunt, & in foro conscientiæ robore carent, ita testamenta solemnitatibus juris destituta.

3. An hæres in conscientia teneatur tradere fidei-commisum, antequam fateatur, sibi esse à testatore impositum?

¶. Aff. Quia solemnitas testium non requiritur ad valorem talis fidei-commissi; idem est de legato; sed in foro conscientiæ sufficit voluntas testatoris sufficienter manifestata hæredi, siquidem instit. *De fidei commissariis hæreditatibus lib. 2. tit. 23. §. ultimo* Hæres dicitur *Perfidiam tentus*, si interrogatus de voluntate testatoris eam negat.

4. An ultima voluntas defuncti possit ab alio mutari?

¶. Hoc non posse fieri sine justa causa: potest

12-

ramen ex causa legitima, V. G. si ultima voluntas non possit impleri eo modo, quo voluit testator, modò fiat authoritate publica; à Magistratu quidem quoad ultimas voluntates ad causas profanas: si verò ad causas pias, ab Ecclesiâ.

5. Qui possint esse testamentorum, & legatorum executores?

6. Omnes illi, qui jure non prohibentur, & omnes à jure non impediti testari possunt. Hinc femina potest esse executrix testamenti defuncti mariti: quod munus etiam durat, postquam ad secundas nuptias transvolavit; quandoquidem nullum jus potestatem ipsi adimat. Hujus officii capaces sunt minores, modò 17. ætatis annum compleverint, quia nec jure prohibentur, nec ætate. Similiter institui possunt testamentarii Sacerdotes, & Clerici sacerdotes, ob receptam ubique praxim. Religiosi testamenta exequi non possunt sine Superioris licentia. Imò nec possunt cum Superioris licentia Fratres minores de observantia, ut constat ex Clem. *Exivi*.

6. Quis dicitur hæres ab intestato?

7. Ille, qui de jure succedit in bona defuncti, etiamsi nullum factum sit testamentum: censetur autem aliquis mori ab intestato, quando testamentum non condidit, vel si condiderat, nullum est ex aliquo defectu, V. G. quia revocatum &c.

CA-

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

§. I. Quid Mutuum, & Usura?

MUtuum (quasi ex meo tuum) est, Contractum, quo traditur quoad dominium, Usu[m] ru[bi] consumptibilis constans numero, pondere, aut mensurâ cum obligatione restituendi postmodum similem in specie, & qualitate.

Dicitur res consumptibilis, ut vinum, oleum, frumentum, sicut & pecunia, quæ dicitur consumi respectu utensis non quidem physicè, sed moraliter.

Dicitur 2. Constans numero, pondere, aut mensurâ; quia non omnis res consumptibilis est materia mutui, sed tantum illa, quæ secundum communem usum & consuetudinem datur vel ad pondus, ut carnes &c. vel ad mensuram, ut triticum, vel ad numerum, ut pecunia: undè quia equus, arbor, & similia, non solent ordinariè tradi ad pondus, numerum aut mensuram, non reputantur materia hujus contractus, sed pertinent potius ad permutationem.

Dicitur 3. similem in specie, & non in individuo; quia licet possit mutuatarius eamdem rem numero restituere, si non sit consumpta, ad id ramen non tenetur vi mutui, quod per hoc differt à commodato, precario & locato, quæ necessariò restituenda sunt eadem numero.

Dicitur denique, & qualitate, quia non satis-

fa-

facit, qui reddit vinum novum pro veteri, al-
bum pro rubro &c. nisi consenserit mutuans.

*Usura communiter definitur: Contractus, quo
ex vi mutui exigitur aliquid ultrà sortem tamquam
debitum.*

Dicitur, *ultrà sortem tamquam debitum*: id est, ultrà capitale, ultrà id, quod dedisti. Dedisti 100. & recipis 105. 100. sunt sors, seu capitale, & 5. usura, seu fœtus. *Aliquid*: quodcumquè illud sit, sive temporale, sive Spirituale, sive pretio æsti-
mabile, sive non, modò sit onus mutuatario. *Si
fœneraberis homini, id est, mutuam pecuniam tuam
dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, exspectes
accipere, non pecuniam solam, sed aliud plus, quam
dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive quod-
libet aliud, si plus quam dedisti, exspectes accipere,
fœnerator es.* Aug. conc. 3. in Ps. 36. ¶. 26. hinc
Conc. Agathense decreto 2. *Usura est, ubi amplius
requiritur, quam datur.* Usura dividitur in for-
malem, seu apertam, & virtualem, seu palliatam.
Formalis est, quæ fit cum pacto expresso; vir-
tualis, quando tacite, vel interpretativè accipi-
mus, vel exigimus lucrum ratione mutui, quam-
vis de eo non fiat expressa pactio.

Usura alia est *realis*, quando accipitur lucrum
usutariū cum pacto expresso, vel tacito; alia *men-
tal is*, quando mutuamus animo accipendi lucrū
vi mutui, nullo modo, ne quidem implicitè in
pactum dedicendo, vel manifestando. Si non se-
quatur lucrum, dicitur *Usura purè mentalis*, si se-
quatur tamen absque pacto, *usura mentalis mixta*.

226 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

P. 1. An sit usura aliquid exigere tamquam debitum ex gratitudine.

¶. Aff. Contrarium proscriptum est ab Innoc XI.

Usura non est, dum ultrà fortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, aut gratitudine debitum.

2. Quo jure prohibetur usura?

¶. 1. Jure humano tam civili, quam Canonico, constat ex poenit. quæ in usurarios publicos statuuntur, excommunicantur Laici, suspenduntur Clerici. Hinc Conc. Lateranense sub Alex. III. *Usuras utriusque Testamenti pagina detestatur.* 3. Insuper jure naturali interdicta est usura, quia aliquid exigere absque justo titulo, juri naturæ adversatur.

C A S U S II.

Quid judicandum de illo, qui vicino suo dat mulo 100. florenos, eâ lege, ut toto anni decursu nullibi, praterquam in officina sua emat, idque prezzo justo, nec majori, quam alibi?

¶. Judico eum ab usuræ sordibus non esse immunem, non quia panem unius assis, V. G. ase vendidit, quod justum est, sed quia alterum ad emendum apud se vi mutui obligavit, quod usurarium est. Id ipsum resolvendum de mutuante, ut alter desinat à lite justa, & cedat certo juri, ne ædificium altius attollat, ut fenestram aliquam obturet, ut beneficium Ecclesiasticum conferam ut remutuet, pro mutuante fide jubeat, & verbo, quotiescumque aliquid onus, cui mutuator non subjacet, mutuatarie imponitur, usura committitur.

CA.

C A S U S III.

Quomodo procedet animarum director cum mercatore, qui multo tempore merces suas creditò pluris vendidit, quam paratâ pecuniâ?

Re. Si non vendiderit suprà pretium rigorosum, sed intrà terminos pretii justi & rigorosi manserit, sic tamen, ut ulnam panni V. G. dilatâ solutione, vendiderit solidis 20. quam libenter venderet 19. vel fortè minoris, præsentibus pecuniis, declarabit eum non teneri ad aliquam restitutionem. Si tamen, secluso damno emergente, lucro cessante, similibusque extrinsecus, ob dilatam solutionem carius vendiderit, quam paratâ pecuniâ, ita scilicet, ut ultrà pretii summâ limites processerit, Confessarius declarabit eum eò usquè peccâsse contra justitiam, atque ad restitutionem obligari.

C A S U S IV.

Thesaurarius cuiusdam Principis Ec. pecunias domini sui, ipso inscio, clam negotiationi impendit, unde Ec. ditissimus evasit, sine ullo tamen rerum domesticarum Principis detrimento. Morti proximus vult testamentum condere, consulitque Confessarium, quid agendum de opibus ex aliena pecunia acquisitis: an debeat eas legare Principi, Ec. An possit salvâ conscientiâ dare consanguineis?

Re. Cùm pecunia de se sit sterilis, potest Thesaurarius ille de ipsis divitiis pro libitu disponere, perindè ac de aliis suis bonis; unde potest legare amicis, neque in ullo Principi est obnoxius, licet fortè deliquerit, pecuniis ejusmodi, sine dominî consensu, hoc pacto utendo.

228 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS:
CASUS V.

Quid agere debet Confessarius cum usurario?

RE. Petendum 1. An esset usurarius publicus, an verò occultus, quia ut patebit, diversimode sunt tractandi. 2. Quoties commiserit peccatum mortale usuræ? 3. Obligandus efficaciter ad restitutionem omnium, quæ in justè per usuras extorsit, quām primūm faciendam, & conferendo in pios usus, si incerta sint, & quorum domini ignorantur; certa verò restituendo iis, à quibus sunt usurariè accepta. Sin autem bona ipsius non sufficient ad omnia restituenda, certa præferenda incertis, & illi, qui diutiùs re suâ caruit, majorem partem restituendam judico, quia quò dominus diutiùs re suâ caruit, eò majus damnum & interesse passus est. Quòd si nihil restituere possit, nihil habens, non est ideo neganda illi absolutio, dummodo firmiter proponat restituere, cùm primūm potuerit, veniens ad pinguiorem fortunam. Potest tamen sibi tantum retinere, quantum sufficit, nè incidat in extremam, vel gravem necessitatem, quia cum tanto sui incommodo non tenetur restituere, & dominus tunc exigens restitutionem irrationabiliter procederet. Nihil tamen ex illis retinere potest ad conservandum statum, in quo erat; qui enim est in ære alieno per usuras, furta, aut alias injustas acceptiones, tenetur restituere, etiamsi à statu excidere, & novæ vitæ degendæ rationem incurrire videretur, sicut & ille, qui quidem per injustam acceptiōnem debita contraxit, sed tamen in paupe-
riem

riem incidit, eò quod possessa in luxum expenderit.

De usurario manifesto in cap. *Quamquam de usuris statuitur*, ut nec ad sepulturam Ecclesiasticam, nec ad Confessionem cum absolutione admittatur, antequam usuras, ut potest, restituerit, aut cautionem idoneam dederit de restituendo iis, à quibus illas extorsit, si præsentes sint, aut alioquin illis, qui possunt iisdem acquirere: vel si tales desint, loci Ordinario, vel ipsius vices gerenti, vel rectori Parochiæ, in qua idem usurarius habitat, idque coram fide dignis testibus de ipsa Parochia, aut coram aliquo Notario publico ex Ordinarii mandato &c. ita ut exprimat veram debiti formam, si sit manifesta; sin minus, aliam, moderandam arbitrio recipientis cautionem. Cæterum, si usurarius ex inopia nec restituere, nec cautionem, id est, pignora, aut fide-jussionem dare possit, sufficit, si juret, se dare non posse, seque satisfactum, si umquam venierit ad pinguiorem fortunam.

CASUS VI.

Quid agendum Confessario cum usurario manifesto, constituto in probabili mortis articulo, in quo ipse nec satisfacere potest, nec idoneam cautionem dare?

¶. Si res ita se habeat, audire debet volentem confiteri, & apparentem verè contritum absolvere: obrentâ ab ipso interea facultate declarandi Episcopo promissionem ab eo factam, ut ille ipsum, si convaluerit, aut hæredes ipsius,

230 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

Si moriatur, compellat ad restitutionem promissam. Ita Navarrus in Enchir. c. 17. n. 279.

Porrò manifestum usurarium, Navarrus ibidem ait, censendum eum, qui palam & notoriè mutuò dat ad usuram, aut res suas ob solam pretii dilationem vendit manifestè suprà rigorosum pretium. Neque necessè est cum quibusvis mutuò potentibus, aut ementibus tale quid faciat, sed sufficit, quòd manifestum sit tale quid ab ipso factum esse, aut per sententiam judicis, aut alias notorium esse, prout citato idem loco Navarrus ait.

§. 2. *Assignantur tituli tres, ob quos aliquid occasione mutui licet exigitur, & accipitur.*

PRimus est, periculum extraordinarium, non omni mutuo intrinsecum, totam sortem amitterendi, vel peculiariis difficultas in recuperanda sorte: quia periculum istud videtur pretio estimabile, ut patet in assecutione, & fidejussione. Tunc non exigitur auctuarium præcisè ratione mutui, sed ex alio titulo.

P. 1. Quænam sunt conditiones, ut ratione periculi extrinseci aliquid possit exigi ultrà sortē?

¶. Hæ quinque: 1. Ut absit intentio lucrandi ex mutuo. 2. Debet periculum esse verum, morale & nullatenus fictum. 3. Debet mutuarius fidejusserem, aut pignus non dedisse, vel non obtulisse. 4. Debet haberi ratio periculi, ita ut plus, aut minus requiratur, prout majus,

aut

aut minus fuerit periculum. 5. Non debet mutuans ratione periculi plus exigere, quam pro tali periculo vellet alteri dare.

Secundus est, lucrum cessans.

2. Quæ sunt conditiones, ut ratione lucri cessantis aliquid licitè exigatur, & recipiatur?
3. Sequentes: 1. Lucrum illud debet verò similiiter esse obventutum, & prudenter exspectatum. 2. Debet pecunia esse lucro proximè destinata, V. G. negotiationi, censui annuo emendo, domui, villæ, agro &c. sibi primâ occasione comparandis. 3. Ut mutuans non habeat aliam pecuniam mutuò dandam, præter eam, quæ lucro destinata est: excipe tamen, nisi aliam pecuniam justa de causa reservaret, v. g. ut prolem jam nuptiis maturam honesto matrimonio collocaret. 4. In ratione lucri sperati deducendæ sunt expensæ, pericula &c. cùm minoris valeat lucrum speratum, quam de facto acquisitum. 5. Debet mutuatarius spontanè consentire in compensationem lucri cessantis, & quidem ab initio: unde si in mutuatione nulla facta sit mentio lucri cessantis, nihil pro eo potest exigi, quia censetur mutuans illud condonasse. 6. Non debet recipi auctarium antè sortem, alias non mutuares 100. V. G. sed 90. si ab initio reciperes 10. ratione lucri cessantis, & sic non servares æqualitatem, cùm minus lucrum speres ex 90. quam ex 100. Denique, quod serio mutuantibus est inculcandum, fieri debet mu-

tuatio ex animo caritatis, non ex animo avaritiae, & sic debet esse dispositus mutuans, ut mallet pecuniam suam commercio, emptioni &c. quam mutuô tradere, nisi mutuatario vellet benefacere, & ideo S. Thom. opusc. 7. de Usuris cap. 6. *In mutuis vitium usura annexum est ex eo, quod fiant spe lucri.*

Tertius est, damnum mutuatori emergens
Ratio est, quia si, ut alteri mutuarem, deberem
expensas facere, deberet mutuatarius illas
ferre, ergo & damnum, quod patior ratione
mutui.

C A S U S VII.

*Petrus mutuò dat Antonio florenos mille sub ha
conditione, ut restituat post elapsum decem mensium
decursum, & mentio nulla de compensatione damni
facta est, atque interim decem mensibus nondum
evolutis Petrus damnum patitur, an Antonius illi
refarcire teneatur?*

Res. Antonium ad hoc cogi non posse, sed ad
summum rogari, ut ex decoro, & congruo iudicetur,
quia Petrus mutuator censemur iuri successisse, quando de compensatione damni men-
tionem non fecit, præsertim cum intersit mutu-
tarii, ut ab initio moneatur de auctario, ratione
damni obventuri, persolvendo; quia aliâ forsa
viâ sine tali gravamine sibi consulere valeret,
mutuum postulando ab alio, qui illud sine so-
damno præstare potest.

C A S U S VIII.

*Antonius mutuat Petro cum obligatione r-
e-
m-*

35.
dendi sortem intra annum, imponitque onus red-
dendi 5. aut 6. supra capitale, si ulterius differat
solutionem; queritur, an possit Antonius tutâ con-
scientiâ pœnam illam conventionalem exigere, si
Petrus fiat redditor morosus?

R. Contrâ nonnullos aff. dum adsunt certæ
conditiones. Ratio est, quia jus tam naturale,
quam civile permittit, ut possint homines pri-
vati sese invicem pœnis conventionalibus obli-
gare, ut ita, tum à contractu adimplendo, tum
à solutione facienda tollatur omnis pigritia, &
morositas culpabilis. L. Si pacto 14. Cod. de pactis.

Certæ autem conditiones hæ sunt: 1. Est, ut
pœna sit omnino libera, & acceptata ex parte
mutuatarii; quia possunt quidem Superiores im-
ponere pœnam subdito invito, non autem pri-
vati, nisi consentienti, & volenti. 2. Ut pœna
non apponatur in fraudem usurarum, quod cen-
setur fieri, quando quis videns non posse ob-
mutuum lucrum exigere, utitur pœnae prætextu
ad palliandum lucrum. 3. Ut pœna sit moderata,
quia excessivam reprobat caput significante. 7.
de pignoribus. 4. Ut mora sit culpabilis, & nota-
bilis. Notabilis, quia cùm dilatio unius, alterius-
vè diei sit modica, & quasi nulla reputetur, non
esset culpæ pœna proportionata. Culpabilis, quia
nisi ob culpam, non imponitur pœna; & ideo
si quis factus sit ad solvendum impotens sive sua
culpa, V. G. ex naufragio, incendio, &c. non deberet
pœnam solvere. 5. Ut, qui deficit tantum in media
parte solutionis, tantum subeat medietatē pœnae.

§. 3. *An montes Pietatis, & Lombardi
sint usurarij?*

Mons Pietatis nihil aliud est, saltem in his locis, quam cumulus pecuniarum, ad subventionem indigentium mediante mutuo destinatus. Alius est ex puris eleemosynis, alius ex pecuniis ad censum levatis, alias mixtus. Mons 1. generis cœpit Perusii in Italia an. 1450. sub his conditionibus, ut soli istius loci pauperes mutuum indè recipent, & quidem in summa determinata, & ad determinatum tempus, dato priùs pignore, modicoque pretio pro ministrorum sustentatione assignato.

Montes Pietatis secundi generis eretti sunt in Belgio anno 1619. tempore Alberti Austriaci, & Isabellæ sub iisdem fermè conditionibus, quibus suprà, nisi quòd possit quilibet indigens, sive dives, sive pauper, indè mutuum recipere, modò tamen non solùm pro Ministris, sed etiam pro censuum solutione, domùsque erectione, & reparatione aliquid tribueretur.

Montibus Pietatis ob civium penuriam non sufficientibus, adjecti sunt Principum autoritate mutuatores publici, vulgo Lombardi, eò quòd modus ille mutuandi à Lombardis initium habuerit: hi autem vix differunt à montibus Pietatis secundi generis, nisi quòd aliquid ultra assignetur mutuatoribus ratione lucri cessantis. His positis

¶. 1. Montes Pietatis primi & secundi generis non

non sunt usurarii, quia modicum, quod in illis recipitur ultrà sortem, non datur vi mutui, sed pro ministrorum sustentatione, qui non tenentur gratis laborare; unde montes illos sub Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. & Alex. VI. erectos, confirmavit Leo X. in Conc. Lateran. tanquam pietatis & misericordiae exercitia, propositis indulgentiis fidelibus, qui ad eorum erectionem suis eleemosynis concurrent &c.

Quod ad secundos attinet, neque in illis aliquid exigitur ultrà sortem ratione mutui, sed ex justo titulo, nempè ad montium conservationem, administrationem, exonerationem. Præterea licitum est, & ab usura immune, in montibus primi generis aliquid exigere pro ministrorum labore, & sustentatione; quidni, & quando exigitur in montibus secundi generis aliquid pro censum solutione? Accedit, quod hi montes fuerint erecti ex consensu & consilio Archi-Episcoporum, Episcoporum, multorumque Belgii Theologorum, qui omnes, re attentè examinatâ, & in statera Domini librata, indicârunt non esse usurarios.

¶. 2. Etiam ab usura videntur immunes Lombardi, modò servent ad amissim Principum, aut Magistratum edicta, non excedant pretium taxatum, nec plus recipient, quâm sit detrimentum, quod patiuntur ratione lucrî verè & realiter cessantis.

CA-

C A P U T I V.

De Censibus, & Contractu Societatis.

§. I. Quid Census, & Quotuplex?

Census, alias redditus, accipitur tripliciter:
 1. Pro pensione annua. 2. Pro jure ad illam.
 3. Pro contractu censuali.

Census in prima acceptatione est pensio annua, V. G. 100. florenorum ex persona, vel ex alterius utili, ac fructifera, perceptibilis.

In secunda, est jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius utili, ac fructifera.

In tertia est Contractus, quo jus percipiendi annuam illam pensionem emitur, aut venditur. Potissimum hic agimus de censu, quatenus est jus percipiendi annuam pensionem. Qui gaudet illo jure, dicitur *Censuista*; qui autem gravatur illo onere annuae pensionis, dicitur *Censuarius*.

Census alias est *reservativus*, dum quis transfert rem suam in alterum, quoad dominium directum, & utile, servato sibi jure annuam pensionem ex illa percipiendi; alias *consignativus*, dum quis super bonis suis, aut propriâ persona consignat alteri jus ad pensionem annuam, retento dominio directo, & utili.

Alius est *realis*, qui super re, alias *personalis*, qui super persona; alias *mixtus*, qui super re & persona alterius fundatur.

Est & alia censū divisio in *perpetuum*, qui per se durat semper, & in *temporalem*, qui cum tempore

pore expirat, ut est redditus vitalius. Item *in redimibilem*, qui vel ex toto, vel ex parte extingui potest per redditionem summæ capitalis, & *in irredimibilem*, qui sic extingui nequit.

P. 1. An possit creari census novus, realis pecuniarius?

R. Aff. Et constat ex approbatione 5. *Summorum Pontificum*, Martini V. Bullâ *Regimini universalis Ecclesiae*. Nicolai V. Bullâ *Sollicitudo*. Calixti III. Bullâ *Regimini universalis Ecclesiae*. Pauli III. Bullâ *Dilectus*, & Pii V. Bullâ *Cum onus*. Et hoc manifestè ostendo evertendo simul fundamentum adversariorum: ideo secundum ipsos, contractus ille est illicitus, quia nihil est aliud, quam mutuum formale, aut virtuale, cum dentur 100. V.G. ut recipiantur singulis annis 5. salvâ manente sorte, quod idem est, ac mutuare 100. cum lucro annuali recipiendo, donec reddatur capitale; sed si staret hoc fundamentum, etiam usurarius esset census fructuarius, cum nihil esset aliud, quam mutuare 100. cum pacto recipiendi tot fructus ex agro, donec refunderetur capitale; ergo. Utrobique igitur intervenit vera emptio & venditio.

2. An sint liciti census personalis, & vitalius?

R. 1. Censum personale, spectato jure naturæ, licitum esse, si persona, super qua census fundatur, sit fructifera; quia sicut operas meas licite eloço, ita similiter jus ad utilitatem inde speratam licite vendo. An autem jure

po-

233 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

positivo sint prohibiti, disputatur, & præ-
placet pars aff. præsertim in locis, ubi viget
Constitutio Pii V. *Cum onus*, sed hanc in Bel-
gio locum non habere, liquet ex praxi con-
traria ibidem creandi census personales. Idem
de Gallia, Germania, Sicilia, Hispania testa-
tur Lessius.

¶. 2. Etiam census vitalitius licitus est. Constat
ex praxi timoratorum recepta.

3. An census perpetui & irredimibiles sint liciti?

¶. Aff. Si spectetur jus naturæ: quia emptio fun-
di frugiferi in perpetuum est licita, ergo etiam
census realis: siquidem jus ad percipiendam
utilitatem fundi frugiferi non minus potest
vendi in perpetuum, quam ipse fundus, hi-
tamen census in Belgio per legem Caroli V.
anno 1528. Bruxellis latam, prohibiti sunt.

4. An liceat censum emere pretio minori, &
vendere majori?

¶. Aff. Quia potest fieri, quod nunc pluris va-
leat, quam valeret, quando fuit institutus:
undè sicut domum possum minori pretio
emptam majori pretio vendere, si ejus pre-
tium secundum communem æstimationem
creverit, quid ni & similiter censum?

¶. An liceat pacisci de censu solvendo, quamvis
res ei subjecta pereat?

¶. 1. Non tantum per Constitutionem Pii V. ve-
titum id est, sed etiam jure naturæ illicitum
hoc sensu, quod non liceat pacisci de redditu
tunc solvendo per modum redditus: quia red-
di-

ditus est jus ad percipiendam pensionem ex re frugifera, & tunc pensio exigeretur à censuario titulo ficto.

¶. 2. Tale pactum non censetur jure naturæ illicitum, si, perteunte re censui subjectâ, exigam annuam pensionem, non ut pensionem, seu redditum, sed alio titulo, V. G. assecurationis, quo mihi censuarius assecuravit pensiones omnes, si res censui subjecta fortè periret: possum enim curare assecurari pensiones omnes per tertium, à quo totum periculum suscipiatur dato justo pretio, cur idipsum cum censuario fieri nequeat?

CASUS IX.

Petrus, & Paulus emerunt censum super eamdem rem, quæ postea ita deterioratur, ut utrique censui solvendo sit insufficiens, queritur, uter sit preferendus?

¶. Petrus, qui prior emit; quia obligatio censu s habet speciem hypothecæ. Præterea juxta regulam 54. juris in 6. *Qui est prior tempore, prior est iure.*

S. 2. De Contractu Societatis.

CONTRACTUS SOCIETATIS EST, CONVENTIO PLURIUM AD NEGOTIATIONEM, QUÆSTAMQUE COMMUNEM ALIQUID PRETIO ESTIMABILE, V. G. PECUNIAM, LABOREM, INDUSTRIAM, MERCES, AUT ALIA NEGOTIATIONIS INSTRUMENTA CONFERENTIUM.

¶. Quid requiritur, ut contractus Societatis sit undequaque justus?

¶. 1.

240 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

R^g. 1. Ut singuli verè aliquid conferant in commune, &c, quòd collatum statim fiat communne. 2. Ut lucrum, & damnum fiant communia. 3. Ut lucrum dividatur secundùm proportionem ejus, quod quisquè contulit. 4. Ut Societas ineatur ad reportandum lucrum ex negotiatione licita.

C A S U S X.

Joannes, & Jacobus bis mille florenos in societatem conferunt; quia verò summa capitalis, variis exponitur periculis, Joannes curat eam assecurari à Jacobo; præterea quia spes est reportandi lucri, Joannes quoquè curat sibi assecurari certum lucrum per Jacobum, dato illi pretio justo pro periculo quod suscipit: queritur an triplex ille contractus cum eodem equitati repugnet?

R^g. Si ejusmodi contractum, practicè loquendo, periculi plenum existimes, non reluctor; si jure naturæ semper veritum putas, non assentior. Siquidem est cum diversis (inità namque societate cum uno, possum curare assecurari sortem, & lucrum speratum ab aliquo tertio, qui non est pars societatis) ergò jure naturæ licitus est cum eodem: ubi enim servatur æqualitas rei ad rem, nihil interest quòcum contractus ineatur. Neque justitia commutativa respicit personam, sed æqualitatem inter rem, & rem.

C A S U S XI.

Quomodo facienda est divisio lucri, & summa capitalis, quæ superest, finitâ societate, quando unus V.G. contulit operam, & industriam, alter verò pecuniam?

R^g.

g. Si opera & industria ejusdem supponantur valoris cum pecunia, prorsus æqualiter omnia dividenda sunt, quandoquidem, moraliter loquendo, æquè multum in societatem contulerit. Si verò valor industriæ V. G. tantum medietati pecuniae in societatem collatæ, æquiponderet, primus, qui pecuniam dedit, summam datam, & alter pretium suæ industriæ accipiat; tum lucrum ita dividatur, ut collator pecuniarum, conformiter ad excessum pecuniae collatæ, plus de illo participet.

C A P U T V.

De Cambio.

Cambium strictè acceptum est, *Mutuatio pecuniae pro pecunia secundum quantitatem, vel speciem, vel locum diversâ, cum lucro camporis.*

Cambium aliud est *reale*, seu *verum*, in quo justè lucrum reportatur, aliud *siccum*, seu *fictum*, quod sit cum titulo injusto.

Cambium etiam dividitur in *minutum*, seu *manuale*, & in *locale*, quod alio nomine dicitur *Cambium per literas*.

Minutum est, *Commutatio pecuniae pro alia diversa, in eodem loco & quasi de manu in manum, ut si permutes nummum aureum cum argenteis.* *Locale* est, *permutatio pecuniae præsentis cum distante, seu in alio loco existente; ut si campor accipiat hic pecunias, ut similem summam Bruxellis numerari curet.*

P. 1. An in Cambio minuto possit aliquid accipi
suprà valorem nummi legalem?

Prænotandum, quod duplex sit valor pecuniae, unus legalis, qui lege Principis imponitur, alius naturalis, qui ex bonitate naturæ, ex antiquitate, ex majori ad commercia utilitate &c. desumitur. Ad quæstionem

¶. Aff. Quia possunt subesse tituli justi, ut *huncrum cessans*, aut *damnum emergens*, ut si intendebas nummos tuos alio, ubi pluris valent, deferre, aut negotiationi cum spe lucri applicare: item si ratione officii cambiandi, à Principe impositi, tenearis esse paratus ad cambiendum, pecunias variæ speciei conquirere, pericula, & expensas, etiam ratione sustentationis famulorum subire &c. Hæc omnia simul sumpta pretio æstimari queunt.

2. An in Cambio locali aliquid exigi possit?

¶. Aff. Et constat ex omnium mercatorum praxi, & consensu, qui unanimiter modum illum cambiandi cum lucro recipiunt, & participant, nullo reclamante. Ratio est, quia beneficium transportandi formaliter, aut virtualliter pecuniam de loco in locum in gratiam Campsarii, est pretio æstimabile, cum per hoc eximatur Campsarius à periculis, expensis, laboribus, quos deberet pro transportatione subire. Deinde Cambium hujusmodi involvit quamdam assecurationem pecuniae transrendæ in gratiam Campsarii.

Attendendum, quod non licet exigere

can.

tantum lucri, ac si pecuniae formaliter trahicerentur de loco in locum pro transportatione virtuali, quæ consistit in eo, quod Campsor habeat in alio loco correspondentem, qui pecuniam hinc numeratam ibidem refundat, quia hinc minus subest molestia & periculi.

3. Quid Cambium Francofurtense, & an licitum?
 R. Est illud, *in quo campsor exigit majus lucrum secundum proportionem longitudinis temporis, quo differtur restitutio pecuniae pranumeratae.* V.G. nundinæ celebrantur bis in anno Francfurti, scilicet in Paschate, & in Septembri, quæritur: an campsor dans pecunias, secundis nundinis recipiendas, possit exigere amplius, quam si restitutio fieret primis nundinis?

R. Hoc per se esse illicitum, seclusis extrinsecis: quia carentia pecuniae ad tantum tempus non est titulus sufficiens ad exigendum aliquid ultra sorteum. Si tamen accedant alii tituli, V.G. lucrum cessans, vel damnum emergens, & majus lucrum cesseret, quia restitutio differtur ad secundas nundinas, non est dubium, quin jure naturæ majus auctarium exigi queat.

Quid sit cambium Byzantium, quod & Placentinum dicitur, declarabit


C A S U S XII.

Indiges Antverpiæ aureis mille, quos quia tibi nolo mutuare, sed dumtaxat ad cambium dare cum justo lucro cambij, ut peccatum usuræ non incurram, regas tibi dari ad cambium locale restituendos meos

Procuratori Placentie, vel Byzantij, (quæ sunt urbes Mercatoribus, & mercibus destinatae) sed quia Placentia non habet Procuratorem, qui aureos tibi numeret, nec fidem, nec pecuniam, assigno tibi meum Procuratorem, ut fiat Procurator utriusque, & mihi ibidem pro te respondeat, susceptumque debitum sibi solvat, quatenus diversas personas representat, & rursus eamdem pecuniam remittat Antverpiam per cambium, scribens novam obligationem pro mille aureis, quasi denuo ad cambium acceperit, eamque ad me transmittens, ut a te accipiam mille aureos Antverpiæ cum lucro cambii, & recambii. Quæritur, an hoc licet fiat?

Res. Totum pendere ab intentione eorum, qui ad istud cambium concurrunt: nam si campsor, & campsarius serio intendant cambium, & recambium, & Procurator campsoris serio fiat Procurator campsarii Placentie, ibidemque nomine campsarii verè, & sincerè respondeat, aut sibi ipsi in persona campsoris solvat, &c. non video, quid in justitiæ subsit, quandoquidem ratione cambii, & recambii aliquid exigi possit.

Si autem hæc non gerantur serio, cambium istud est omnino siccum, & usura palliata, eò quod totum lucrum à parte rei accipiatur, vi mutui.



CA-

C A P U T . V I .

De Fide-jussione, Asscuratione, Conduktione, Locatione, Emphyteusi, Feudo, Pignore, & Hypotheca.

Fidejussio est, Susceptio obligationis alienæ cum onere eam adimplendi, si à principali debitore non impleatur, sic tamen, ut obligatio principalis debitoris ideo non extinguitur.

P. 1. Quæ requiruntur conditiones, ut fide-jussor aliquid accipiat ratione periculi, cui se exponit? 2. Quòd pro fide-jussione licet aliquid exigatur, communis doctrina est, quia subire periculum, numquam fortè recuperandi, quod loco principalis debitoris solvit, censemur pretio æstimabile: sed certæ requiruntur conditiones, quarum prima: ut fide-jussor non teneatur plus solvere, quam principalis. 2. Ut principalis verè obligetur, hinc fide-jussio pro solutione usurarum est invalida. 3. Ut fide-jussor non obligetur aliter, quam debitor principalis, nisi se arctius obligarit. 4. Ut fide-jussor non possit conveniri, nisi excusso principali, nisi fide-jussor renuntiaverit beneficio præviæ excussionis.

Asscuratio est, alieni periculi in se susceptio, si suscipiam onus tibi satisfaciendi pro mercibus navi impositis, si navis pereat: cum autem talis susceptio sit pretio æstimabilis, pro asscuratione tutò aliquid exigitur.

Q. 3

2. Quæ

2. Quæ conditiones requiruntur ad justitiam hujus contractus?

¶. 1. Ut premium exigatur juxta proportionem periculi, quod creditur subesse, & æstimabilitatem rei, quæ assecuratur. 2. Ut periculum verè subsit, vel probabilitet timeatur: hinc nemo potest aliquid exigere pro assecuratione navis, quæ est in portu. Eadem ex causa assecurarius curans assecurari navem, quam perisse novit, tenetur ad restitutionem illius, quod ab assecuratore accepit. 3. Ut, si res pereat, assecurator habeat jus in illam, dummodo satisfaciat assecuratio.

Locatio est, Contractus, quo res, vel persona conceditur ad usum, vel fructum dato pretio, vel mercede.

Conductio est, Contractus, quo res, vel persona accipitur ad usum, vel fructum dato pretio.

3. Quibus casibus conductor potest expelli?

¶. 1. Si re conductâ abutatur, ut si ibidem alias meretrices. 2. Si rei conductæ notabiliter noceat. 3. Si domus V. G. necessariò reparari debat, quod fieri non posset, ipso inhabitante. 4. Quando supervenit causa, tempore contractus non prævisa, ob quam inhabitatio ipsi locatori necessaria est. 5. Si conductor per biennium non solverit.

Emphiteus est, Contractus, quo possessio, & dominium usilerei immobilis, retento directo, transferitur in alium sub onere reali annua pensionis. Debet autem transferri vel in perpetuum, vel ad tempus non minus deceñio.

Perr.

Feudum est, Contractus, quo sub onere fidelitatis & obsequii personalis transfertur possessio, & dominium utile rei immobilis, V.G. urbis, agrè &c. retento dominio directo.

Hypotheca est, Contractus, quo res immobilis nudâ conventione, id est, absque traditione, obligatur creditori pro debito.

CAPUT VII.

De Emptione, & Venditione.

Commercium Belgarum, tum inter se, tum cum exteris Nationibus toto Orbe celeberrimum, amplam nobis suppeditat materiam, sed sicut in aliis tractatibus, ita & in hoc celebriores, & in praxi frequentiores tantum attingemus.

§. I. Quid Emptio, quid Venditio? &c.

Emptio est, Pactio pretii pro merce. Venditio est, Pactio mercis pro pretio. Negotiatio est, Emptio rei, animo eam alienandi cum lucro, quæ licita est, teste S. Aug. scribente in 1. part. Psal. 70. Si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniqitas mea.

Premium rerum vendibilium est duplex, aliud legitimum, vulgare aliud. Legitimum est, quod constituitur lege Principis, vel Magistratus. Vulgarie autem, quod commune, & prudenti hominum existimatione taxatur, & vocatur premium fori.

Premium vulgare triplex est, *Summum, Medium, Infimum*. Summum est, ultra quod ascendit

nequit. Infimum, *infra quod descendere non potest emendo*. Medium, quod est *inter pretium summum, & infimum*.

Licitum est emere pretio infimo, & vendere summo sine *injustitia*, quia utrumque pretium justum est.

P. 1. An peccet, qui vendit merces ultrà pretium rationabiliter à Principe taxatum?

R. & quidem contra justitiam. Quemadmodum enim ad *Rectores civitatis* pertinet, qui sunt *justæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum, & rerum*. Et ideo has mensuras publicâ *authoritate constitutas*, *præterire non licet*. S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 2. ad 7. ita ad *Principem spectat*, vel *Magistratum*, taxare pretia rerum, ita ut ea *præterire non licet*.

2. An *Mercatores*, qui habent res nullum habentes determinatum pretium, V.G. gemmas, picturas, &c. possint illas vendere tanti, quanti volunt?

R. Neg. Sed *recurrendum ad estimationem eorum*, qui de *similibus notitiam* habent.

3. An *emotor*, idem est de venditore in pretio deceptus, possit rescindere contractum?

R. Quando venditor excessit dimidium preti justi, datur locus rescissioni in *foro externo*, ut constat ex *Cap. Dilecti*: si autem non excedatur dimidium, nequidem datur *actio contra excedentem*, ne *lites multiplicantur in infinitum*.

Quod attinet ad *forum conscientiæ*, semper et

est obligatio ex parte illius, qui excessit, vel ad rescindendum contractum, vel ad excessum auferendum, licet alter non petat rescissiōnem, propter inaequalitatem, quae alioquin manet inter pretium, & rem.

4. An liceat vendere carius creditō, quam paratā pecuniā?
- R. Per se illicitum id est, si vendatur supra summum pretium, quia carentia pecuniae non est ex se pretio estimabilis: licitum tamen est per accidens ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: si quis autem ob dilatam solutio- nem vendat pretio summo, cum paratā pecuniā venderet pretio medio, non peccat contra iustitiam, quia vendit pretio absolutè justo, licet caritas id aliquando dissuadeat.
5. An venditor teneatur rei vendendae defectum emptori incognitum manifestare?
- R. Aff. Unde qui sciens rem defectuosam vendidit, tenetur restituere pretium, quod accipit ultrà valorem, & insuper compensare omnia damna, si quae emiserint emptori: res enim non potest vendi supra suum valorem, nec emi absque injustitia, propter inaequalitatem, quae ponitur inter mercem, & pretium.

C A S U S X I I I.

Mercator privatā scientiā novit copiam mercium brevi ad futuram, an tutò perget communis pretio merces suas divendere?

R. Aff. Quemadmodum enim privata emptoris scientia de raritate mercium futura non auget

250 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.
pretium, ita nec eadem scientia in venditore di-
minuit: nè tamen tali casu merces omnes uni-
divendas; foret enim contra caritatem.

C A S U S XIV.

Joannes emit à Petro Chirographum, seu debitam
100. florenorum, secundum se periculis, & difficult-
atibus obnoxium inferiori pretio, V. G. 90. 80. &c.
juxta proportionem periculi, an lisitè?

R. Aff. Quia talia debita communi aestimatio-
ne sunt minoris valoris, quam si solutio foret
in se facilis. Resolutio etiam locum habet, etiam si
emptori, ob peculiarem industriam, artem &c.
solutio supponatur impetratu facilis: quia hoc
tribuitur fortunæ ejus, aut industriae.

C A S U S XV.

Petrus petit 100. aureos mutuos à mercatore,
qui renuit mutuare, sed paratus est illi vendere
merces credito, sed summo pretio V.G. 105. vel 106.
aureis, ut eas vendat pecuniâ numeratâ, cui vo-
luerit: ille emptas offert mercatori, qui easdem emit
pecuniâ numeratâ, sed minoris, pretio nimisrum me-
dio, vel infimo, V.G. 100. aureis, & ille manet de-
bitor 105. Quando illæ merces revenduntur ven-
ditori, vocatur ille contractus ab Hispanis Moha-
tra, ab Italîs Stocola. Queritur, an usurarium?

R. Aff. Quid enim aliud est mercatorem ven-
dere Petro merces pretio ut 100. solvendas in
fine anni, & statim easdem emere pecuniâ paratâ
90. quam dedisse illi mutuo 90. recipienda in
fine anni cum lucro 10. Conveniunt omnes,
hunc similemque contractum esse usurarium, si
ani-

Enim usurarius sit, id est, capiendi lucrum ex mutuo sub praetextu & specie venditionis ad palliandum usuram.

CASUS XVI.

Plurimi mercatores, dum confitentur, nihil, aut parum de usura vito (idem est de camporibus, tabellariis, mutuatoribus) dicunt: quomodo se debet gerere *Confessarius* erga tales?

R. *Confessarius* debet sibi formare ideam peccatorum, quae similes homines, & talis conditionis committere solent: quotidiana enim constat experientia, plerosque habere spiritum avaritiae &c. de quo ramen non habent conscientiae remorsum. Proinde interrogandi de qualitate negotiationis, quo animo negotientur, quid lucri ex negotiatione sperent, &c.

CASUS XVII.

Mercator committit proxeneta, sive illi, cui venditio commissa est, certas vendendas merces sub determinato pretio, contingit, quod proxeneta pluris vendat, queritur, an possit retinere augmentum, quod est ultrà determinatum pretium?

R. Neg. Quia illud auctarium est pretium meritis, & cum merè pariat fructum suo domino, tenetur totum tradere principali venditori, à quo commissionem accepit. Casus etiam frequens est inter famulos, quibus Heri committunt curam emendi triticum, avenam, &c.

CA-

C A P U T VIII.

De Tributis, & Vectigalibus.

Tributum, & Vectigal sumuntur aliquando latè, ut significant omne illud, quod à privatis solvitur Principi, aut Rei-publicæ ad sustentationem, & communia onera ferenda.

Quandoque speciatim, ita ut tributum sit, Pensio subditis imposita iuxta cujusque media, præsertim prædialia ad Principis dignitatem, & onera communia ferenda.

Vectigal autem, Pensio pro rebus, quæ in civitatem, vel Provinciam adferuntur, vel efferuntur, solvenda, vel pro transvectione mercium per pontus, & flumina, vel pro transitu per viam, aut locum ratione custodia, protectionis, vel reparacionis viarum &c.

P. 1. Quæ requirantur conditiones, ob quas tributa & vectigalia justè possint imponi?

¶. Hæ quatuor: 1. Ut sit authoritas in imponente. 2. Ut imponatur ex causa rationabili.

3. Ut in modo imponendi servetur proportio respectu statūs cujusque. 4. Ut pro majori parte rebus, ad usum vitæ humanæ, & familiæ sustentationem non necessariis, quoad fieri potest, imponantur.

2. An solutio tributorum & vectigalium obliget in conscientia?

¶. Aff. Constat ex verbis Apost. ad Rom. 13. v. 5. & 6. Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Ideo

Ideo enim & tributa præstatis &c. Hinc patet, defraudatorem vectigalium, aut tributorum, si justa fuerint, ad restitutionem obligari.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE, ET TRIBUS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

Quid Sacramentum, & qui ejus effectus?

Medicinalium gratiarum fontium Auctorem D. N. JESUM Christum, sponsam suam tam amplis stipâsse monilibus, ut illa Sacramentorum (quæ sunt *invisibilis gratia signa ad nostram sanctificationem* Divinitus instituta à Christo Domino) formas, ac materias mutare non valeat, opinor.

Sacramenta novæ Legis, ab egenis & infirmis Mosaicæ Legis elementis penes causalitatem, quæ tantum moralis est, differunt in hoc, quod illa gratiam causent ex opere operato, hæc ex opere operantis.

Minister, qui in Sacramentorum administrâtione materiâ utitur incertâ, certâ rejectâ, non solùm proximo injurious, sed & ipsi Deo irreligious est, nisi materiam adhibere certam necessitas non patiatur.

Si quis materiam, vel formam substantialem
mu-

254 TRACT. DE SACR. IN GEN. ET TRIB. IN SP.
mutet, administrat invalidè; si accidentalem,
illicitè.

Valori Sacramentorum non officit improbitas
Ministri instrumentalis, cùm eam suppleat
sanctitas Ministri principalis.

In administrante Sacramentum requiritur se-
ria & interna intentio Sacramentum conficien-
di, non requiritur actualis, sed sufficit virtualis.

Sacramentum regenerationis sublato obice
reviviscit, dicente Aug. l. 3. de Bapt. contr. Do-
nat. cap. 13. *Tunc incipit valere idem Baptismus*
ad dimitenda peccata, cùm ad Ecclesie pacem
venerint.

C A S U S I.

*Florentinum aliam Sacramenti Ordinis mate-
riam assignavit Latinis, aliam Gracis. Fussi sunt
illi consecrare in azymo, hi in fermentato. Pre-
cipimur absolvere indicativè, adhibita olim fuit
forma deprecativa. Queritur, an hec, aliqua
familia præscribens Ecclesia censenda sit determi-
nasse materias & formas Sacramentorum?*

RE. Neg. Quia Ecclesia quidem determinavit
materias & formas sufficientes, non tamen es-
sentialis. Hoc est, sancivit, ut talis respectivè
Ecclesia uteretur materia tali, quæ ex institu-
tione Christi ad valorem sufficit Sacramenti. Nec
hoc est propriè determinare materias, aut for-
mas, nè alioquin materiam consecrandi Calicis
determinasse dicatur Illustrissimus Mechlinien-
sium Metropolita Jacobus Boonen, ubi prohi-
buit Consecrationem in Vino rubro.

CA

C A P U T II.

De Baptismo, & Confirmatione.

Propria regenerationis materia est aqua vera, & naturalis, sicut & illa, quæ ex sacratissimo Salvatoris latere ad nostra diluenda peccata emanavit.

Unica ablutio ad valorem hujus Sacramenti sufficit.

Ut quis supernaturaliter regeneretur, debet primò ex matris utero esse natus, nisi pars notabilis corporis humano modo tangi, & ablui possit.

Ad hujus Sacramenti valorem requiritur, ut is, qui adhibet formam, idem quoquè præbeat materia.

Baptismi defectum supplet martyrium in parvulis, votum suscipiendi, si desit opportunitas, in adultis.

Confirmationis materia est oleum, ac balsamum, ejusque ab Episcopo facta benedictio, non sola manuum impositio. Hujus Sacramenti institutionem malè negavit Isidorus Mercator, & impudenter elusit Kemnitius calumniator.

C A S U S II.

Illustrissimus Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius, Franciscum Henricum conquerentem de exiguo apud infideles fructu, cum propter gentem idolis addictissimum, tum propter barbariem Regis acerbissime Christianos insectantis, blandè est consolatus, quod plūs, quam putaret, proficeret, infans, invito veroque parente, (ut non levis est conjectura)

jectura) diligentissimè conqueritos cælo pariendo. Supposito facto: *Quæritur de jure, an Viri predicti hoc practicando, & generaliter etiam, an filii infidelium merè politicè Catholicis subjectorum Principibus illicitè baptizentur?*

R. Neg. Si quæ enim sit Ratio in oppositum, desumenda erit à jure patriæ potestatis, cui deberent subtrahi infantes nondum rationis usum adepti, ne alias subversionis periculo expenerentur. Porrò hæc ratio duplii pede claudicat. Primò, quia etsi non abstraherentur ab educatione parentum, periculum subversionis abundè compensatur per hoc, quod plurimi moriantur, antequam sinistræ instructionis sint capaces. 2. Nego, quod potestas patria tam latè extendatur, ut propter bonum religionis, & parvulorum salutem irrationaliter inviti, ac jure abutentes suo, patriæ potestatis usu, & executione privari non possint.

C A P U T III.

De Eucharistia.

IN Sacro - sancta consecrata Hostia totus est Christus, totus pariter in qualibet Hostiæ seu divisæ, seu non divisæ parte, quamvis hoc ultimum auctoritate Concilii Tridentini non sit definitum.

Sufficiens forma corporis est hæc: *Hoc est Corpus meum: Sanguinis verò: Hic est Sanguis meus, vel: Hic est Calix Sanguinis mei.*

Ma.

Materia Corporis Christi est, panis triticeus; Sanguinis autem, vinum de vite, cui ex mandato Divino & Ecclesiastico paululum admiscetur aquæ, quæ immediate transit in sanguinem.

Effectus hujus Sacramenti est, collatio gratiæ secundæ. Alios effectus hujus Sacramenti enumerat Conc. Trid. Sess. 13. cap. 12. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tamquam antidotum, quo liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

APPENDIX

De præparatione ad S. Eucharistiam requisita.

P. I. **Q**uale jejunium sumptioni Eucharistiæ præmittendum.

2. Jejunium naturale ex Lege Ecclesiastica. Et hoc testatur S. Aug. epist. 118. ex omnium Ecclesiasticum consuetudine, Eucharistiam sumi non posse nisi à jejunis.

Ut jejunium naturale solvatur, requiritur, quod aliquid sumatur per modum cibi, vel potus, sive ab extrinseco transmittatur in stomachum per actionem vitalem: proinde

1. Non solvitur jejunium, si flegma, vel sanguis ex capite perfluens deglutiatur. 2. Jejunium non violatur, si cum aere, dum respiramus, muscam involantem, vel quid simile deglu-

R

tia.

258 TRACT. DE SACRAM. IN GEN. ET TRIB. IN 97.

tiamus. 3. Nequè jejunium infringitur, si quis os abluens, unā, alteram vè aquæ guttam præter intentionem cum saliva introsumat.

4. Neque reliquæ ciborum præcedentis diei, quæ dentibus adhærent, communioni obstatum ponunt, quando per modum saliva inadvertenter transmittuntur. Cæterum quando quis sese reflectit, illas expuere omnino expedit.

2. Utrum sumptio tabaci naturale infringat jejunium?

¶. Dum sumitur fumo per tubulos, aut per masticationem, jejunium naturale violatur, cò quòd plurimi tabaci particulæ necessariò ad stomachum transire debeant.

Profectò, si quis saccarum ori imponat, cuius particulæ sensim resolutæ, unā cum saliva in stomachum trajiciuntur, dubium non est, quin naturale solvat jejunium; ergò similiter.

De tabaco naribus sumpto satis constat, quòd jejunium non violat, quamvis indecens sit illud ante Sacramenti sumptionem sumere. Proindè Urbanus VIII. Ecclesiæ Hispalensi præcepit, nè de cætero in Ecclesiis prædictis Diœcesis, earumque atriis, ac ambitu, tabacum, sive solidum, sive in frusta concisum, ac in pulverem redactum, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos sumere audeant, vel presumant sub pœna excommunicationis latæ sententiaz, eo ipso absque aliqua declaracione per contrafacentes incurriendæ.

3. An

3. An subinde liceat, soluto jejuno, Eucharistiae Sacramentum accipere?
- ¶. Aff. 1. In articulo, vel periculo mortis. 2. Si immineat periculum irreverentiae gravis, nisi Hostia à non jejuno statim sumatur: V. G. quando alias in manus hæretorum, vel infideliū incideret. 3. Quando urget necessitas perficiendi Sacrificium, V. G. Si Sacerdos post consecrationem recordetur, se non esse jejunum, vel si loco specierum vini aquam sumpserit, vel alio Sacerdote deficiente in Sacrificio per morbum, nullus adsit ad Sacrificium complendum, nisi non jejunus. 4. Sacerdos potest reliquias sui Sacrificii, dum est in Altari, etiam non jejunus sumere, V. G. Si post distributam communionem in fine Sacrificii supersint aliquæ particulæ in Patena, vel Corporali. 5. Quotiescumque est periculum, nè particulæ aliquæ consecratæ perdantur, vel dissipentur, possunt etiam à non jejuno sumi, quia hoc exigit reverentia huic Sacramento debita.
4. An, & quæ mundities corporalis sumptioni hujus Sacramenti prærequiratur?
- ¶. 1. Immunditia corporalis, quæ malum culpæ non involvit, sed dumtaxat horrorem quemdam incutit, ut lepra, fluxus sanguinis &c. Communionem non impedit: quia talis immundities commiserationem potius, quam punitionem meretur.
- ¶. 2. Mulieres Catholicæ in puerperii, vel men-

260 TRACT. DE SACRAM. IN GEN. ET TRIB. IN SP.

strui purgatione à sacra Communione arcet non debent, ut ostendit P. M. N. Lupus p. 3. dissertatione de actis Leonis IX. ubi contra-riam consuetudinem Græcorum ab Ecclesia Latina ostendit non admissam.

¶. 3. Immundities, seu pollutio nocturna, si si omnino inculpabilis, non impedit de necessitate Communionem diei sequentis; Communicatus tamen distractionem mentis, & imaginationem carnalem, si quæ supersit, meditatione, piâ lectione & conetur abigere.

¶. 4. Actus conjugalis reddendi debiti causa exercitus, Communionem non impedit. Unde Franciscus Salesius p. 2. introduct. ad vitam devotam cap. 20. Propter solutionem debiti, inquit, nullus à Communione averti debet, si alia devotio ad communicandum ipsum provocat.

Interim adhortandi conjuges, ut uno, alterovè die ab actu matrimoniali abstineant priusquam communicent: nam præstantissimi hujus Sacramenti dignitas postulat, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, quæ propositionis panes, cùm à Sacerdote suscepturæ esset, se suosquè pueros ab uxorum consuetudinibus puros jam tres dies esse professus est. Ita Act. Conc. Mediolanensis sub S. Car. Borromæo.

¶. 5. An status gratiæ, & amicitiæ Divinæ sufficiat ut quis dignè communicet?

¶. Neg. Quia ad Communionem admittendi non sunt, qui sufficientem hujus mysterii no-

titiam non habent. Insuper requiruntur de-
votio intensa, & reverentia submissa.

¶. 6. Quibus expedit raro, aut sæpè communicare?
¶. 1. Ut frequens alicui Communio permittatur,
juxta spiritualis vitæ instructores, requiritur,
ut studiosè evitentur non dumtaxat quævis
mortalia, sed etiam venialia, & affectum erga
leviora peccata deposuerit. Constat ex S. Fran-
cisco Salesio In. Introductionis ad vitam de-
votam. Circa resolutionem

Notandum, quod Laici non debeant se con-
formare consuetudini Sacerdotum, quotidiè
ferè communicantium, quamvis ipsis essent
pates ratione, & pietate vivendi, quia Sacer-
dotes, utpote publici precatores ab Ecclesia
constituti, ex officio, & quasi nomine populi
sacrificant, & communicant, juxta illud Apost.
ad Hebr. 5. *Omnis namquæ Pontifex ab homi-
nibus assumptus, pro hominibus constituitur in ipsis,
que sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia
pro peccatis.*

¶. 2. Qui tepidos inter & fervidos medii sunt, ad
Communionem menstruam videntur admit-
tendi. Audite S. Bonav. in 4. Sent. dist. 12. a. 1.
q. 2. *Si quis videat se esse in statu primitiva Ec-
clesia, laudandum est, quotidiè communicare. De
qua Ecclesiæ ætate Actorum 4. dicitur: Mu-
litudini credentium erat cor unum, & anima
una..., Erant illis omnia communia.... Erant
quotidiè quoque perdurantes unanimiter in Tera-
plo, & perseverantes in orationibus &c.*

Si quis autem videat se esse in statu finali
Ecclesiae, utpote frigidum, aut tardum, laudan-
dum est, quod raro; si autem modo medio, & ali-
quando, debet cessare, ut addiscat revereri, ali-
quando accedere, ut inflammetur amore.

7. Quomodo pueri ad primam Communionem
sunt disponendi?

¶. 1. De pueris ad primam Communionem ad-
mittendis ita statuunt Acta Concilii Mediol.
sub S. Carol. Borrom. ut Confessarius ter, aut
quater in Confessione eos audierit, & de fructu,
& utilitate hujus Sacramenti, quantaquereve-
rentia, & integritate conscientiae ad illud acce-
dendum sit, monuerit. Ratio est, quia pueri rebus
sensualibus quasi immersi, ludisque puerilibus
admodum distracti, ad res spirituales minùs
attendunt: proinde Confessarius uno, altero vè
examine securus esse vix potest, quod notitia
necessaria sint imbuti, nisi aliundè constet. In-
super non adeò facilè deprehendi potest, an
Deum super omnia diligent, quia vanitatibus,
& sensibilibus delectationibus nimium affici
solent.

Denique non raro evenit, ut sèpiùs Sacra-
mentalii absolutione vacui à Confessariis de-
prehendantur dimissi, vel quia de sufficienti
rationis usu, vel de amore Dei super omnia, &
efficacia propositi, vel de materia absolutioni
substrata dubium fuit. ex hoc capite consultum
sèpiùs, imò necessarium, ut Confessionem ge-
neralem primæ Communioni præmittant.

¶. 2. De pueris, qui innocentiam Baptismalem conservârunt, nihil difficultatis esse potest. Cæterum Confessarii diligenti examine id explorare debent, quia justificationis gratia ob rationis usum obtentum multipliciter & facile deperditur. Ipsi sufficere non debet, quod actiones mortaliter peccaminosas non inventant, sed sedulò investigandum, an voluntas per amorem Dei super omnia à primo, sed morali rationis diluculo ad Deum fuerit conversa, & etiamnum sit, quia pueri sæpiùs in lusus & vanitates cor ita divisum habent, ut primum Decalogi præceptum non adimpleant.

¶. 3. Qui amore Dei vacui deprehenduntur, mediis facilitioribus, & tenellæ ætati accommodatis ad caritatem DEI super omnia priùs manuducendi sunt, quam ad Eucharistiaæ Sacramentum admittantur.

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Sacramentum Pœnitentiaæ, & quænam ad illud requirantur?

POENitentia est Sacramentum à Christo institutum, in quo ministerio Sacerdotum remittuntur actualia peccata, & solvuntur omnia

omnia vincula ad culpam pertinentia, quibus homi-
nius conscientia quasi fuit ligata; remittitur quoque
poena aeterna, & temporalis, vel tota, vel pro parte,
secundum dispositionem Pœnitentis.

2. Adultis post Baptismum in mortale lapis
secundum omnes Theologos hoc Sacramentum
est necessarium vel in re, vel in voto. In re, quan-
do datur occasio illud suscipiendi: in voto, quan-
do deest; ex quo patet ejus necessitas.

3. Hujus Sacramenti tres sunt partes materia-
les, *Contritio*, *Confessio*, & *Satisfactio*, & cuilibet
parti materiali corresponder effectus ex opere
operator. Præter tres materiales partes datur una
formalis, scilicet *Absolutio*.

4. *Contritio*, *Confessio*, & *Absolutio* secundum
omnes sunt partes essentiales hujus Sacramenti,
ac proinde unâ ex iis deficiente, hoc Sacramen-
tum nullo modo subsistere potest.

5. Secundum communiores sententias, sa-
tisfactio est tantum pars integralis hujus Sacra-
menti, ac proinde sicut homo potest subsistere
sine manu, & pede, ita & hoc Sacramentum sine
satisfactione; ut patet in moribundo, qui morti
proximus absolvi potest, licet sit impotens fa-
ciendi aliquam satisfactionem.

P. 1. Quæ est materia & forma hujus Sacramenti?

P. 2. Materia proxima sunt actus Pœnitentis, Con-
tritio, & Confessio; remota vero sunt omnia
peccata post baptismum commissa. Peccata mor-
talia, sunt materia necessaria, venialia, suffi-
ciens: forma vero consistit in his verbis: *Ego te
absolvo ego*.

2. An

2. An in hoc Sacramento unum peccatum mortale sine alio possit remitti?

R. Neg. Quia gratia sanctificans, sine qua peccatum mortale non deletur, hominem Dei amicum constituit, adeoque omnem cuiuscumque criminis reatum, quo inimici Dei constituimur, necessariò dissolvit.

§. I. De Contritione.

Contritio est, *Dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Circa Contritionem notandum, aliam esse Contritionem perfectam, quæ hominem statim Deo reconciliat, etiam ante actualem Sacramenti susceptionem, & ad illam requiritur, ut peccator doleat, ac detestetur peccata, quatenus sunt offensa Dei super omnia perfecto amore amati, & conjungat cum hoc dolore & detestatione firmum propositum mutandi vitam, & numquām imposterum peccandi: aliam verò imperfectam, quæ non concipitur ex tam intenso & perfecto amore, sed ex imperfecto: sed quia, teste Catechismo Romano, pauci admodum ad hunc gradum amoris perfecti pervenire possunt, sufficit, & requiritur in Sacramento Pœnitentiæ ad reconciliationem obtinendam dolor proveniens ex amore Dei super omnia, sed imperfecto. Hoc insinuat Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. præcipue, dum ad Pœnitentiam, quam agi oportet a baptizandis, requirit, ut Deum tamquam omnis

justitiæ fontem diligere incipient, quod per consequens etiam requiritur ad Sacramentum Pœnitentiaæ, cùm non minor, sed major ad hoc requiratur dispositio, quia Pœnitentia vocatur laboriosum baptismum. Accedit definitiva S. Aug. sententia: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Serm. 7. de Tempore. Necessestatem amoris sexcentis locis adstruit Doctorum Aliqua.

P. 1. An ad valorem Sacramenti Pœnitentiaæ requiratur formale propositum non peccandi de cætero, distinctum à detestatione peccatorum?

¶. Neg. Sed sufficit propositum virtuale inclusum in efficaci detestatione omnium peccatorum, quia tunc omnis peccandi voluntas sufficienter excluditur.

2. At sit peccatum confiteri sola venialia peccata absque ulla conditione & proposito ea cavendi?

¶. Aff. Et quidem mortale, quia tunc Sacramentum redditur nullum propter omissionem partis essentialis.

3. Quibus casibus tenemur elicere actum Contritionis?

¶. 1. In articulo mortis. 2. In ejus periculo.

3. Quando quis sentit, se esse constitutum in periculo amittendi usum rationis. 4. Quando quis sibi conscius est peccati mortalis non habens copiam Confessarii, & tenetur celebrare ad vitandum scandalum. 5. Quotiescumque est suscipiendum Sacramentum Pœnitentiaæ.

Ni-

Nimis dura & improbabilis videtur mihi
eorum sententia, qui sustinent, mox à peccato
mortali commisso vigere obligationem cli-
eniendi actum formalem contritionis sub novo
peccato, quamvis hoc suadere, laudabile sit.

C A S U S I.

*Quid ager Confessarius cum pœnitentibus sèpius
eadem peccata venialia confitentibus?*

R. Suadendum est, ut majoris securitatis ergò
mortale aliquod de vita præterita adjungant, cù
quòd hâc viâ confessio venialium, in quæ sèpè
labimur, & Absolutio Sacramentalis non parum
assecurentur. Duo tamen cavenda: alterum, nè
pœnitentes de venialium contritione, & emen-
datione minùs sint solliciti, quâm si hæc sola con-
fiterentur. Alterum, nè mortale illud quasi ex
consuetudine subjungant, sine novo dolore &
detestatione, historicè magis ipsum narrando,
quâm de eo Sacramentaliter se accusando.

§. 2. *De Confessione.*

Quantùm ad secundam partem, scilicet Con-
fessionem, ad illam varia requiruntur, quæ
tamen reduci possunt ad hæc quatuor: ut sit *in-
tegra, fidelis, diligens, & obediens.*

Ad integratatem Confessionis secundum trid.
Sess. 14. cap. 5. requiritur 1. ut pœnitens omnia
peccata mortalia, etiam solius cogitationis, quæ
post diligentem sui discussionem memorie oc-
currunt, in Confessione explicet. 2. Ut non so-
lùm peccata mortalia explicet in genere, & in
spe-

specie, sed etiam tenetur peccatorum suorum numerum exprimere, quantum moraliter hic & nunc à Pœnitente fieri potest; proindè si determinatum assequi non valeat, dicat veri-similem, qui talis apparer post diligens examen, plus, minusve. 3. Ut pœnitens non tantum circumstantias speciem mutantes, sed etiam intra eamdem speciem notabiliter aggravantes exprimat. Vide fol. 32.

P. 1. Quænam peccata comprehenduntur sub illis peccatis mortalibus, quæ Trid. dicit esse confitenda?

P. 2. Peccata mortalia etiam antè per caritatem perfectam remissa, sed nondum clavibus Ecclesia subjecta. 2. Indirectè remissa in præcedentibus Confessionibus. 3. Peccata dubia, de quibus accipe breviter mentein nostram.

Vel dubium est de qualitate, an sint mortalia, an venialia, & tunc sive dubio exponenda sunt in Sacramento Pœnitentiæ, ut Sacerdos, cuius est inter lepram & lepram distinguere, judicet, feratque sententiam. Vel est dubium facti, an peccata, quæ certò creduntur mortalia, admiseris. Et ea etiam sub dubio confiteri teneris, adjunctis aliis, quæ certam materiam præbeant; quia & illa omittere, quæ fortassis commissa sunt, periculose, & illa sola exponere, quibus irritum foret Sacramentum, falsæ materiæ, si forte patrata non sint, appositione, Sacramenti integritati injurium. Et certè sicut de peccatis dubiis tenentur ho-

mi-

imines conteri, nè æternæ damnationis periculo se exponant, ita & ea confiteri omnes tenentur. Obligatio enim non solùm regulatur penes ipsum factum, sed penes certum periculum.

Observandum tamen, quòd confessus peccatum ut dubium, si postea certus de illo fiat, confiteri illud ut certum postea debeat, cùm peccatum confiteri oporteat, non solùm ut fuit, sed etiam ut est pro presenti in conscientia.

2. Qualis integritas Confessionis est necessaria?
- ¶ 2. Duplex est Confessionis integritas, materialis una, formalis altera. Confessio dicitur materialiter integra, dum nullum prorsus omittitur peccatum: formaliter vero, dum exponuntur illa, quæ post diligens examen memoriae occurruunt. Integritas formalis requiritur, & sufficit.
3. An peccati complex in Confessione denudari possit, aut debeat?

¶ 1. Si Confessarius, cui complex sit ignotus, absquè gravi incommodo adiri nequeat, pœnitens peccatum suum plenè & integrè debet exponere, quamvis Confessarius in notitiam complicis venturus prævideatur. Hanc sententiam docet S. Thom. opusc. 11. q. 6. & D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 9. §. 11. aliquè, quos vide apud Joannem Morin. lib. 2. de Pœnit. cap. 18. constat: ex Præcepto Christi integrè confiteri tenemur, nisi ratio excusans interveniat, sed in casu nulla est ratio non integrè con-

270 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIA.

confitendi; quia infamia Confessioni intrinseca est, quæ in ipsa Confessione, seu peccati manifestatione consistit, aut ex ea proximè nascitur, non est ratio sufficiens mutilandi Confessionem; alioquin nullus Confessor sibi noto peccata mortalia, saltem enormia aperire teneretur; sed cùm infamia complicis Confessioni sit intrinseca, peccatum complicis denudari potest. Hoc non obstante

¶. 2. Si pœnitens Confessarium, cui complexus sit ignotus, adire possit, ad hoc obligatur; quia Conscientia dictat, quod famæ nostræ conservandæ causâ id fieri à complice velimus; ergo ex caritatis lege id facere tenemur, ut famæ complicis consulamus.

¶. 4. An quis confitens peccatum mortale, quod anteà in Confessione ritè exposuit, declarare debeat peccatum istud alias clavibus fuisse subjectum?

¶. Aff. Quia alia est conditio hominis à peccatis necdum liberi, & alterius, qui delicti veniam quidem impetravit, sed iteratò, & quasi ex abundanti eamdem postulat. Ex quo patet, quod non liceat peccatum recens cum aliis in Confessione explicatis ita confundere, ut Confessarius putare posset, quod illud præviè adhuc confessi simus.

¶. 5. Quàm diligens examen Confessioni debet præmitti?

¶. Eam in examine conscientiæ adhibendam est diligentiam, quæ in re magni momenti à viro

p. 124

prudenti adhiberi solet. Ex quo patet, quod non semper æqualis diligentia requiratur: sicut enim mercator plus studii & laboris impendit in recolligendis, quæ spectant ad negotiationem exercitam spatio duorum annorum, quam aliquot mensium; ita conscientiæ sui latebras, animique sui sinum diligentius tenetur excutere, qui spatio unius anni confessus non est, quam, qui à duobus mensibus conscientiam expurgavit.

6. An peccet mortaliter, qui in confessione mentitur?

R. 1. Si gravem malitiam Confessario aperiendam mendacio suo obvolvat, quin mortaliter delinquit, dubium non est.

R. 2. Si quis sciens volensque Confessario mendacium ultrò obtrudat, videri potest Sacramento velle illudere, quamvis mendacium respiciat materiam levem, quo casu periculum mortis non abest.

R. 3. Dum quis ex verecundia, aliave ratione aliquid contra mentem dicit, si res sit levis, & omnis Sacramenti excludatur contemptus, non video, quâ ratione reatum incurret lethiferum.

C A S U S II.

Quid faciendum cum eo, qui dicit: Interrogas me, & interim nullum peccatum exprimit?

R. Vel periculum est in mora, vel probabiliter timetur, si dimittatur, ne rediret, vel tam stupidus est, ut conscientiam suam non possit exami-

minate. Et primò, si talis sit in probabili periculo mortis, videndum, an sciat ea, quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad salutem consequendam: si deprehendatur mysteria illa ignorare culpabiliter, ut ordinariè fit, debet se de illa ignorantia in confessione accusare. Si autem parum temporis supersit vitæ, considerato statu, & conditione personæ, interrogari debet de peccatis aliquibus, quæ à similibus committi solent. Habitâ certâ materiâ absolutionis, Confessorius non ita anxiè occupetur ulteriùs inquirendo, sed reliquum tempus impendat, ut ab ipso possit elicere perfectam contritionem, vel saltem attitionem ex imperfecto erga Deum amore provenientem, cum proposito melioris vitæ, si pristinæ sanitati restituatur. Si autem talis supervivat, debet peccata, in præterita confessione omissa, defectu temporis examinandi conscientiam exactiùs postea confiteri.

Si verò non sit in mortis periculo, petendum 1. Ex quo motivo venerit ad confessionem? Si dicat ad obtainendam absolutionem à suis peccatis, respondendum, quòd beat revelare omnia sua peccata, & de iis se accusare, adeoque quando redibit ad sedem confessionalem, beat priùs diligenter examinare suam conscientiam, cùm arduum sit Confessario omnia peccata expiscari, licet hâc vice eum velit juvare. 2. Inquirendum, num sciat ea, quæ sunt scitu necessaria necessitate mediæ & præcepti ad salutem. Si illa culpabiliter ignoret, instruendus

est,

est, & se de ea ignorantia omnino accusare tenetur. 3. Percurrenta sunt breviter decem Præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ, attentō statu confitentis, & ejus conditione. 4. Suaviter conetur inducere pœnitentem, ut paulisper patiatur differri absolutionem, quo possit exactius discutere conscientiam, præfigendo certum tempus, quo ad absolutionis beneficium (si nihil obstat) certò sit admittendus. Idem faciendum cum rudi, qui nescit examinare conscientiæ suæ statum.

C A S U S III.

Quid faciendum cum eo, in quo non apparet signa veræ detestationis peccatorum?

R. Talem, antequam absolvatur, disponi debet ad concipiendum Dei timorem, & amorem: ex quibus provenire debet detestatio peccatorum requisita ad Sacramentum Pœnitentiae. Modus autem pervenienti ad talem dispositionem est inculcatio Divinæ severitatis in impœnitentes, & bonitatis, ac misericordiæ in pœnitentes. Cæterum ad absolvendum non temerè, inducat ipsum ad veram suorum peccatorum detestationem, quæ proveniat ex aliquo dolore propter Deum offendit, & super omnia, saltem imperfectè dilectum.

C A S U S IV.

Quid agendum Confessario, quando ex ignorantia aliquem absolvit, quem non poterat absolvere ob casum reservatum, aut aliud impedimentum?

R. Si probabiliter timeat scandalum in con-

274 TRACT. DE SACRUM. POENITENTIA.

veniendo pœnitentem, vel revocando, cum committat Christo Sacerdoti summo. Si verò probabiliter judicet nullum adesse periculum scandalii notabilis, illum conveniat prudenter, dicens, gravem ertorem commissum esse in audiendo confessionem ipsius, ideoque rogare, ut velit ei iterum confiteri, aut saltem licentiam dare ipsum veritatem docendi sub Sacramentali sigillo.

C A S U S V.

Quidam interrogatus, à quo tempore præcedentem habuisset Confessionem, respondit, se eam habuisse ab anno elapso; Et postmodum interrogatus, quantum temporis impendisset ad examinandam suam conscientiam, respondit, se de peccatis suis cogitasse tantum eo temporis spatio, quo sacrum audivit, Et ante à nullatenus. Confidetur interim quædam grandia peccata, de quibus se dicit dolere propter Deum offendit. Absolvitur à Confessario. Quaritur, an in hoc, similius casu prudenter egerit Confessarius?

R. Nequaquam, quia merito suspicari poterat, pœnitentem, tam ex quo temporis spatio, suam non potuisse debitè examinare conscientiam, nec firmum elicere propositum non peccandi de cætero cum peccatorum detestatione. Adde, quod timendum sit, nè Pœnitens determinatum peccatorum numerum expresserit, nè circumstantias aliquas necessariò exprimendas omisserit. Deinde cor, tanto tempore amore DEI vacuum, de repente immutari non potest. Proinde audiendus benignè, sed suaviter inducendus, ut aliquo tempore perget examinare conscientiam;

tiam, detestari peccata, accendere ardentiū in se
caritatem &c.

C A S U S VI.

*Confessarius quidam vi examinis eduxit ex Con-
scientia Pœnitentis peccatum mortale, quod statue-
rat celare: Quæritur, quid in isto casu debnerit
agere Confessarius?*

R. Debuit ei proponere enormitatem sacri-
legii, quod commisit per occultationem peccati
mortalis, debuit etiam efficaciter cum movere
ad veram cordis conversionem. Propositâ sacri-
legii enormitate, disponat cum ad candidè
exponendum cordis sinum, ut sequenti vice
fructuose possit & candidè beneficium absolu-
tionis obtinere.

C A S U S VII.

*Quid faciendum cum pœnitente, qui dicit: Du-
bito, an omnes meæ Confessiones præteritæ fuerint
bone, & absolutiones validæ?*

R. Considerandam esse Pœnitentis conditio-
nem, an sit scrupulosus, nec nè. Si scrupulosus,
qui ex infundatis suspicionibus statim judicat
suis actionibus subesse malum, non facile est ad-
mittendus ad repetitionem suarum confessio-
num, cùm experientiâ constet, quòd illam re-
petitionem non nisi cum gravi sui incommodo
præstare possit. Quomodo cum tali proceden-
dum, vide fol. 35.

Si Pœnitens scrupulosus non sit, petendum
abillo, ob quam rationem dubitet de confessio-
num suarum valore? Si deprehendat Confessa-

rius, quod vel ex timore, vel pudore &c. omis-
serit aliquod peccatum mortale confiteri, tunc
dicendum, quod illam confessionem, in qua
tacuit illud peccatum, deberet repetere, & omnes
sequentes, & quod simul deberet exprimere,
quoties postea confessus fuerit, & absolutus, cum
toties commiserit peccatum sacrilegii, quoties
memor invalidæ confessionis Sacraenta suscep-
pit. Si deprehendat Confessarius, verè dubium
& incertum esse, an fuerit commissus defectus
in præteritis confessionibus, petendum 1. quo-
ties cum tali dubio confessus fuerit, & absolutus;
quia cum non licet agere cum conscientia
practicè dubia, toties peccavit mortaliter, quo-
ties absolutus fuit, nisi tunc ad judicium pruden-
tis viri, & ob rationes fundatas, deposuisset con-
scientiam dubiam, quod licet posset absolvī sine
repetitione confessionum. Si tamen dubium ma-
neret, consulendum 2. ut ad sedandam suam
conscientiam institueret generalem confessio-
nem totius vitæ, & sub dubio consideretur pec-
cata sacrilegii, quæ fortè comisit in sequentibus
confessionibus, nisi gravia obstante incomoda-

C A S U S VIII.

*Quid faciendum, si sponsus habuerit copulam
cum Sponsa, & Sponsus manè veniat ad Confessio-
nem, & confiteatur, se nocte precedente dormivisse
cum sua Sponsa. Absoluta à Sponso Confessione, ac-
cedit Sponsa, (certum supponitur, quod alteri
Confessario non fuerit confessa) & in Confessione
ex pudore &c. non accusat se de copula habita?*

¶. Ubi Sponsa suam conclusit confessionem, petendum absolutè & efficaciter ab ea, an sint omnia peccata, quæ post ultimam confessionem commisit, quia vel unum peccatum mortale omittere scienter, & culpabiliter, est mortale peccatum, & sacrilegium, adeoque reddit pœnitentem incapacem Absolutionis. Si dicat se nulla commisisse alia, poterit cautè interrogare Confessarius, an non impudicè attigerit suum sponsum, vel permiserit se impudicè tangi ab altero, & sic à longè examinanda est de copula.

Neque ab illa interrogatione obligor abstine-re, quia non sequitur, quòd utar scientiâ ex confessione habitâ, quia illa scientia excitat memo-riam meam tantùm, ut hîc faciam, quod sepositâ illâ scientiâ facere potuissim, & fortè debuissim. Si Sponsa neget se impudicè sponsum attigisse, vel permisisse impudicè attingi à Sponso, tunc non est necesse ulteriùs petere, sed poterit inge-nuè proponere DEI scientiam omnia peccata cognoscentis, & futuram eorum omnium in die judicii (nisi per confessionem deleantur) noti-tiam & confusionem, ac æternam in inferno ignominiam. Si nec hoc modo emolliatur, Ab-solutio sub conditione dari potest, si cæteroquin videatur benè disposita; hoc enim modo re-venientiæ Sacramenti consulitur, & abusus scientiæ ex Confessione acceptæ evitantur.

C A S U S IX.

Plurimi Nobiles dum confitentur, nihil, aut pa-rum dicunt de peccato vindictæ, plurimi mercatores

S 3

nihil

*nihil de usura, plurimi opifices nihil de fraudibus
Ec. Quomodo se geret Confessarius in hoc casu?*

R. Confessarius tenetur formare ideam peccatorum, quæ homines talis conditionis possunt, & subinde solent committere, & eos ante absolutionem de talibus interrogare: quia quotidiana constat experientia, plerosque habere spiritum talium peccatorum, de quibus tamen non habent conscientiae remorsum.

C A S U S X.

Quidam contracturus matrimonium cum persona, quâ semper abusus fuerat usque ad illud tempus, confessus est quidem sua peccata, sed non adhibuit nisi communem, facilemque præparationem: Quaritur, quid Confessarius debuerit agere?

R. 1. Si runc fuerit moralis necessitas mox suscipiendi Sacramentum Matrimonii, nec commodè differri potuerit, conetur eum exhortari ad eliciendum actum amoris benevoli, & detestationis peccatorum, & absolvat sub conditione, adhibitâ hâc cautelâ, ut pœnitens postea revertatur, eadem peccata repeatat securitatis ergo, subministrando materiam certam, & non communicet.

R. 2. Seclusâ prædictâ necessitate morali, verisimilius apparet, quod Confessarius non debuerit ipsum absolvere, etiamsi peccandi occasio esset auferenda per matrimonium, quia seria peccati detestatio, proveniens ex amore Dei, non elucet indiciis sufficientibus.

CA.

C A S U S XI.

Quidam Confessarius solebat ingemiscere, dum pœnitentes exponebant gravia peccata, ita ut hoc adverteretur ab aliis. Interim plures monici, non se corredit, quia inadvertenter id facere asserebat. Queritur, an sigilli violator?

RE. Aff. Si non formaliter, saltem interpretatiè, & implicitè sigillum violavit, quia illi gemitus erant voluntaria gravium peccatorum manifestatio: undè in casu Confessarius ille à confessionibus publicè excipiendis omnino abstineret tenetur.

C A S U S XII.

Quid ager Confessarius cum pœnitente, qui de numero peccatorum interrogatus, eò quòd ita confiteatur, ALIQUANDO PEJERAVI, NONNUNQUAM DETRAXI &c. dicit, se non esse solitum aliter confiteri, nec unquam de numero peccatorum fuisse interrogatum?

RE. Si pœnitens de proposito omiserit numerum exprimere, vel sciens, quòd esset exprimendus, ideo non expresserit, quia non interrogabatur, vel denique per ignorantiam crassam, aut affectatam, ita confessus fuerit, omnino urgendus est ad illarum Confessionum repetitio-
nem, nec est anteà absolvendus, nisi sit ratio excusans. Si verò bonâ fide processerit, simpli-
citer existimans non esse necessarium aliter nu-
merum exprimere, (quod in his partibus rarius locum habet) non sunt iterandæ quidem præ-
cedentes confessiones, sed supplendus carum

defectus per verisimilis numeri omissi expressio-
nem; & instruendus talis pœnitens, quod im-
posterum teneatur numerum exprimere. Opti-
mum autem erit consilium, ut confessionem
generalem totius vitæ instituat, si ad illam fa-
ciendam induci possit, & fuerit idoneus.

CIRCA NUMERUM EXPRIMENDUM

DUo sunt observanda. Primum: Ubi non
potest pœnitens certum numerum exprime-
re, exprimat verisimilem, & qui magis ad cer-
tum accedere censeatur, addendo, *plus*, *minus*,
ve. Advertendum tamen, ut non quasi divinan-
do, aut in genere numerum quemcunque, etiam
majorem sumendo, confiteatur, sed prudent
æstimatione, & reminiscientia, quis similiter sit
numerus, perpendat. Unde perperam agunt illi
pœnitentes, qui absque judicio, & debito exa-
mine, quasi ad singulos numeros adhibent par-
ticulas illas *plus*, *minus*, *ve*, sibi ab blandientes
quasi omnium numerum per hoc suppleant: sup-
pletio enim debet esse moralis, ex judicio, & mo-
rali examine fiat, necesse est.

Alterum est, ut dum nec cereus, nec vero-
similis aliquis numerus colligi potest propte:
lapsuum multitudinem, & nimis diuturnam
Confessionis dilationem, candidè aperiat pœ-
nitens in qualibet specie suum statum, videlicet
inclinationes pravas, consuetudinem, modos
& frequentias lapsuum per diem, aut hebdo-
madam, durationem temporis, quâ in pecca-
to.

lorum commissione voluntariè permanserit, incentiva occurrentia &c. ex his cognoscere poterit Confessarius Pœnitentis statum.

CASUS XIII.

Quid agendum cum illis, qui consueverunt toto ferè die colloqui de rebus turpissimis, sive ullo delectu circa materiam, vel socios, tam circa conjugatas, quam solutas? Vitium hoc admodum juvenibus commune, qui (pro dolor!) sèpè ex ignorantia suas referunt impudicitias, & sèpissimè à se factas fungunt, quas fecerunt numquam.

¶. In illis videndum est 1. quâ intentione protrulerint turpia, & lasciva: an animo se, aut alios ad libidinem provocandi, vel oblectandi se rebus ipsis turpibus, quas narrant, aut cum alicujus similis delectationis periculo, quod semper mortale est, an verò ex levitate dumtaxat, vel ob solam delectationem, quæ non transeat ad res per verba significatas, sed in ipsis verbis, eorumque artificio sistat; sed cum hoc regulariter fieri non possit sive aliorum scandalo, vel alicujus ulterioris consensu periculo proprio, vel alieno, ordinariè lethiferum est.

Secundò ex parte materiæ considerandum, de quibus rebus colloquia misceantur. Denique ex parte audientium, coram quot personis, & quibus. Diligenter etiam invigilandum, an famam personæ tertiae similibus jactantiis non graviter lèdant.

Nec excusanda sunt hujusmodi spurciloquia, quod coram conjugatis dumtaxat proferantur.

S 5 C. ut

(ut sibi communiter persuadent uxorati, existimantes sibi penè licere in hac materia loqui, quidquid sibi libet) imò ex hoc capite sàpè graviora sunt peccata, si nimis multum obscena fuerint, & ad Venerem vehementer provocantia. Si tamen non admodùm sint lasciva, per se loquendo minus peccat coram conjugatis turpiter loquens, quam coram juvenibus, & pueris, in quibus ut plurimum (experiètiā teste) majus est periculum, quam in uxoratis.

C A S U S XIV.

Quid agendum cum eo, qui passim solet turpiter concupiscere mulieres sibi obvias, aut circa eas morosè delectari?

R. Confessarius non debet exigere tam exactum peccatorum numerum, sed contentus sit, si Poenitens, præter conditionem suæ personæ, explicet, quamdiu illam habuerit consuetudinem, & species principales, V. G. an frequenter circa conjugatas, an aliquando circa cognatas, vel personas sacras delectationem morosam, aut mœchandi desiderium habuerit; dicendo specierum, quarum potest, & quoad potest, numerum verosimilem, qui in concupiscentiis saltatioribus, V. G. incœstuosis, sacrilegis, ad sequendum moraliter, non videtur adeò difficilis.

C A S U S XV.

Solutus cum soluta tota nocte decumbens, animo explendi libidinem, quoad posset, confitetur hoc modo: Totâ nocte in lecto impudicè conversatus cum

una, quācum feci, quod volui; queritur, an satis integrē confiteatur?

R. Neg. Sed exprimere debet, quoties cum ea copulam habuerit. Cūm enim quālibet fornicatio sit actio totalis, & completa, nec una ordinetur ad aliam, intentio eas exercendi intra aliquod certum tempus, non efficit, ut eae sint una moraliter actio peccaminosa. Verba tamen, & oscula, tactus impudici in ordine ad copulam subsecutam (nisi specialem turpitudinis modum contineant: idem dic de osculis copulam immediate sequentibus, absente periculo ad novam copulam, vel pollutionis) non sunt ordinariē exprimendi, quia hæc & similia sunt copulæ præambula, vel eam approbantia, in quorum notitiam ex actu principali facile deveniet Confessarius. Aliter tamen resolve, si oscula & tactus multùm extraordinariē duraverint, ut moraliter loquendo non censeantur copulæ præambula, vel cum copula peracta quid unum constituentia.

C A S U S XVI.

Quid dicendum de illo, qui ab ultima ante trimestre Confessione nullius sibi conscius mortalis noxa, nollet morti proximus confiteri venialia, quia non deprehendit in conscientia ullum grave peccatum: aut triduo, vel quatriduo ante, nil de morte cogitans, fuisset confessus, diceretque, se ex eo tempore ab omni gravi crimine sibi per Dei gratiam diligenter cavisse?

R. Desistendum non est, quo usque cum volu-

lun-

Iunctate percipiendæ absolutionis sua venialia aperiat, tum ad indirectam remissionem mortaliū, si quod fortè in animo lateret, tum ob gratiam Sacramentalem, & venialium à consecutione gloriæ retardantium remissionem: tum denique ad satisfaciendum piæ fidelium consuetudini, & singulariter in primo casu, ad evitanda scandala, & domesticorum sàpè tristitiam, timoremque.

CASUS XVII.

Quomodo se geret Confessarius, dum pueros habet confitentes?

R. Viri docti hoc in casu non modicam patiuntur difficultatem, & scrupulum. Igitur de capacitate puerorum, ac puellarum Confessarius judicare non debet ex sola ætate, ex eo utique quòd septennium exegerunt, sed præter ætatem examinabit ingenii & educationis qualitatem, ex qua constat multos post illam ætatem, alios antè peccati mortalis capaces fuisse. Observabit etiam vultum, & gestus ipsorum, utrum modestè & devotè se gerant in Confessione, an ridiculè, V. G. nugando cum cratibus, cum pilleo &c. facientque interrogationes, ex quarum responsis intelligere possit, utrum discernant bonum à malo? Utrum habeant timorem Dei, & affectum ipsi inserviendi? Utrum pudeant de mendacio, de aliqua impudicitia cum aliis commissa? &c. Proderit etiam interrogare, cur venerint ad Confessionem, & suaviter inculcandum, quòd, qui nolunt confiteri peccata sua,

igne

igne inextinguibili puniantur, qui confitentur
verò, cœlo donentur. Pensatis omnibus, si judi-
cet puerum verè & deliberatè peccâsse in eo,
quod confitetur, examinandus erit, immo juvan-
dus ad eliciendum actum supernaturalem fidei
& doloris. Ab actu fidei transibit ad actum spei,
& detestationis peccatorum. Denique exami-
nari debet, an doleat ex solo motivo humano,
quia à patre vapulabit, an, quia Deum offendit,
vel quia peccatum est contra Deum. Sunt enim
non pauci à natura ita vagi, & malè educati, ut
licet satis dispositi fuerint ad peccandum, non
sint tamen satis dispositi ad dolendum, nec ali-
quando satis hîc & nunc disponi possint. Quo
casu Confessarius eos non terreat increpando,
sed aliquam orationem Pœnitentiaz loco ipsis
imponat, deinde cum benedictione eos dimittat:
expedit enim, pueros, etiam absolutionis non-
dum capaces, benignè audire, aut paulatim in-
struantur, & Confessioni assuescant.

C A S U S XVIII.

*Quomodo Confessarius suscipiet tepidos, siveque
perfectionis Christianæ incurios, adeò, ut licet mor-
talia nulla committere videantur, nulla etiam
Christianæ vita signa demonstrent?*

R. Verbis Apoc. commonendi sunt: *Utinam
frigidus essem, aut calidus; sed quia tepidus es, in-
cipiam te evomere.* Objicienda ergò damnanda
securitas, & inducendi ad ferventem caritatem.
Verùm hoc opus, hic labor est. Ex una enim par-
te caritatem sperare non possunt per Sacra menta
in

in periculo illo statu suscepta. Ex altera parte, cùm nihil confiteantur palbabiliter criminorum, ipsis Confessarius facile videbitur nimis austerus, si ipsos ab absolutionis beneficio excludat. Sua igitur ipsis indignitas tantâ suavitate proponenda est, ut lubenter acceptent Absolutionis beneficium differri. Ad hoc proderit magna cum mansuetudine, & caritatis testificatione, zelo quæ salutis ipsorum interrogare, 1. An non ita sit, quod à multis annis (post tot Communiones, Confessionesque) semper iidem, vel fortè magis negligentes manserint in iis, quæ Dei sunt? 2. An non videant, quod nisi de somno suo surgentes novum fervorem concipient, semper iidem permanebunt, & in suo torpore, perfectionisque neglectu, ut vixerint, morientur? 3. An non optent talem nancisci Confessarium, qui ipsos à periculo illo statu excitet? 4. Interrogandi sunt, an non libenter essent in sancta illa dispositione, in qua & fructuose Sacraenta susciperent, & quæ Dei, suæque salutis sunt, cum fervore peragerent, ut sic jucundè vivere, & mori possent securè. Si desiderium hujus dispositionis excitaverit in ipsis Confessarius, ostendet possibilitatem eam brevi assequendi, & ideo ante omnia excitandum in ipsis erit votum, se speciali modo præparandi ad Sacraenta illa debitè & fructuose suscipienda, hortabiturque ad confessionem fervore extraordinario instituendam, eamque, si fieri possit, generalem. Eum in finem ea suggestet, quæ videbuntur utilia ad illum fer-

servorem concipiendum, & excitandum ingens
præteriti temporis odium, & dolorem, addendo,
quæ specialiter serviunt ad caritatem accenden-
dum, ut sunt orationis studium, frequens eleva-
tio mentis in Deum per pias aspirationes, mor-
tificatio passionum, concupiscentiarum, &c. Præ
ceteris inculcabit humilis orationis studium.
Dein dicet Confessarius consultum esse, ut tan-
tisper exspectent, seseque specialiter præparent,
antequam Sacra menta suscipiant. Tandem mo-
nebit eos, ut interim ad Confessarium identidem
accedant, narraturi, quomodo res succedat, ab
ipso consilium accepturi, & consolationem.

C A S U S X I X.

*Quid agendum cum illis, qui vix ulla peccata
spontè confitentur, sed tamen à Confessario inter-
rogati, fatentur multa mortalia?*

R. Plerumque illos esse imparatos ad Absolu-
tionem: quia verosimile est, quod Pœnitentes
istiusmodi usque ad ingressum in sedem Con-
fessionalem, imò ad ipsum ferè momentum, quo
interrogantur, vel rudes omnino fuerint, & mo-
rum Christianorum imperiti, vel quod nulla ipsis
cura fuerit pœnitere peccati, proponere emen-
dationem, & integritatis Confessionis satagere,
vel (quod deterius est) ex composito illa mor-
talia subticere, si de illis non interrogarentur.

C A S U S X X.

*Quid censendum de illis, qui ad hoc usque mo-
mentum, quo à Confessario instruuntur, ignorant
voluntates internas, aut consensus internos circa
objecta*

objecta libidinis, vindictæ &c. esse peccata mortalia,
atque ita multa hujusmodi commiserunt?

R. Et hos ordinariè non absolvendos, sed
suaviter instruendos, ob hanc quidem rationem:
quia dispositio eorum ut minimum est ambigua;
eadem sit sententia de iis, qui mortaliter deli-
querunt frequenti pollutione, quam hactenus
peccato mortali non annumerârunt.

§. 3. De Satisfactione.

Quantum ad satisfactionem olim imposicam,
illa rigidissima fuit, ut constat legenti an-
tiquos Canones Pœnitentiales: flaccidente ta-
men caritate, rigor ille Ecclesiæ primitivæ mul-
tum est ab Ecclesia immutatus, non tamen tota-
liter relaxatus. Unde P.P. Conc. Trid. hoc saluti-
ferum condunt præceptum sess. 14. cap. 3. Debent
ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & pru-
dentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pa-
nitentium facultate salutares & convenientes sati-
factiones injungere: nè, si forte peccatis conniveant,
& indulgentiis cum pœnitentibus agant, levissima
quædam opera pro gravissimis delictis injungendo,
alienorum peccatorum participes efficiantur. Ha-
beant ergo præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt
non sit tantum ad novæ vite custodiam, & infirmita-
tis medicamentum, sed etiam ad prædictorum pec-
catorum vindictam, & castigationem. Collige, quid
judicandum de illis Confessariis, qui peccatori-
bus omnibus quantumcunque gravibus non in-
jungunt nisi quinque Pater & Ave, vel recitation-
em unius Psalmi.

Hab.

Habenda igitur, juxta Rituale Romanum tit. de ordine administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, ratio statûs, conditionis, sexûs, ætatis, & dispositionis Pœnitentis, & quantum poterit, contrarias peccatis Pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynam, libidinosis jejunia, vel alias carnis mortificationes, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia &c.

Cavendum tamen Confessariis, nè in alterum extremum declinent, nimium leves imponendo, vel nimis durum, aut austерum se Pœnitentibus exhibendo. Præstat enim parvâ Pœnitentiâ, quæ spontè assumitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non adimplenda præcipitare in infernum.

P. 1. An teneatur Pœnitens pœnitentiam rationabilem sibi impositam acceptare, & implere?

R. Aff. Quia ut patet ex Trid. tenetur Sacerdos Pœnitenti injungere pœnitentiam; ergo Pœnitens eam tenetur acceptare, alioquin frustra foret obligatio Sacerdotis ad imponendam, si non esset obligatio Pœnitentis ad illam implendam.

2. Quandonam Pœnitentia est adimplenda?

R. Tempore à Confessario præfixo, quod si nullum determinatum præfixerit, censebitur obligatio, ut adimpleatur primâ opportunitate.

3. Ad quid est obligatus, qui est oblitus satisfactionis sibi impositæ?

R. Quod si posset adire eundem Confessarium, & ille recordetur satisfactionis impositæ, vel

peccatorum confessorum, tenebitur ab illo exigere novam satisfactionem: quod, si non possit eumdem Confessarium adire, & sua culpā contigerit illa oblivio, tenebitur alteri Confessario confiteri, & novam satisfactionem exigere. Denique si sine culpa contigerit illa oblivio, consultum erit per modum satisfactionis aliquid injungere pro confessis peccatis, licet non sit absolutē necessarium, maximē si Confessarius post absolutionem adjunxerit illa verba: *Passio Domini nostri Iesu Christi Eccl. quidquid benē feceris Eccl. tunc enim bona opera subsequentia habent vim injunctā satisfactionis.*

4. An satisfactione injuncta possit mutari?
- ¶. 1. Confessarius, cui Pœnitens sua exposuit peccata, pœnitentiam mutare potest justā subsistente causā: ille enim, qui pœnitentiam imposuit, potest eamdem mutare.
- ¶. 2. Confessarius, cui Pœnitens confessus non est, pœnitentiam mutare non potest, nisi Pœnitens sua repeat ad minus in confuso peccata, alias exposita: Confessarius enim judex est, qui sicut incognitā causā sententiam ferre non potest, ita nec datam mutare.
5. An sufficiat implere pœnitentiam in statu peccati mortalis?
- ¶. Quamvis magis consultum videatur eam in statu gratiæ adimplere, sufficit tamen, si quis tempore peragatur, sive homo existat in statu gratiæ, sive in statu peccati mortalis, vel maxi-

ab illo
si non
& suā
r alteri
factio-
ntige-
nodum
confessis
arium,
ionem
ri f. Eſu
c enim
juncta
e posuit
tā sub-
entiam
is non
ſi Pœ-
pecca-
judex
n ferro
u pec-
am in
i quo-
stat in
s, vel
maxi-

maxime si deponat affectum peccati: in primi-
tiva enim Ecclesia satisfactio regulariter adim-
plebatur ante Absolutionem, & per consequens
in statu peccati mortalis frequenter.

C A S U S X X I.

*Quidam indiscretus Confessarius cuidam ancillæ
pro Sacramentali pœnitentia præcipit, ut per octi-
duum jejunaret in pane & aqua, & per triduum
abstineret ab omni verbo proferendo, & interim
illa ancilla erat toto tempore domesticis curis vaca-
tura; queritur, an talis Confessarius rectè egerit?*

R. Egit imprudentissime cum indirecta sigilli
Confessionis violatione, cum ex indiscreta illa
Pœnitentia in illa familia suborta sit suspicio
ingens gravioris alicujus delicti.

C A P U T II.

*De Casuum Reservatione, & Sigillo
Confessionis.*

§. I. *An reservatio graviorum criminum
valida sit, & utilis?*

R. Aff. **C**onstat ex Trid. sess. 14. cap. 7. Ratio
in promptu est, quia superiores Ec-
clesiæ possunt inferioribus Sacerdotibus con-
ferre jurisdictionem ad certa peccata restrictam;
& hoc valdè utile est, ut scilicet Superioris com-
pescant suos subditos à gravioribus peccatis.

Nota, quod quilibet Sacerdos in probabili
mortis articulo à quibuscumque peccatis validè
& licitè queat absolvare.

292 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIAE

P. 1. Qui casus reservantur Pontifici?

¶. Illi, qui in Bulla Cœnæ Domini exprimuntur. Hæc passim exstat apud Anthores. An autem hæc Bulla Cœnæ Domini locum teneat in Belgio, disputatur.

Interim attendatur praxis cuiuscumque Diœcesis. Præter casus in ea contentos, Papæ etiam reservantur sequentes: 1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ. 2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem. 3. Duellum, seu provocatio ad illud. 4. Violenta injectio manuæ in Clericos. 5. Simonia realis, & confidentialis.

Casus Episcopis reservati pro diversitate locorum sunt varii. In Diœcesi Antverpiensi reservantur sequentes: 1. Hæresis. 2. Apostasia. 3. Simonia. 4. Sodomia. 5. Homicidium voluntarium. 6. Incendium cum deliberata voluntate procuratum. 7. Raptus virginum. 8. Inceſtus cum consanguineis, aut Sanctimonialibus. 9. Injectio violæta cum læſione in parentes facta. 10. Sortilegium. 11. Adulterium notorium, ac omnia delicta; quæ majorem excommunicacionem annexam habent, & prædictis graviora. 2. Quid requiritur, ut quis incurrat primum casum reservatum?

¶. Duo requiruntur, 1. Pertinacia, ut sciat rem, de qua dubitat, esse de Fide, & Ecclesiam tenere. 2. Ut dubium sit voluntarium, non à phantasia, aut imaginatione profectum.

3. Quotuplex est Apostasia, quæ reservatur?

¶. Triplex, à Fide, ab Ordine, à Religione.

Non

- Non incurrit hunc casum mentalis tantum
Apostata cujuscumque speciei.
4. Quæ Simonia reservatur, & quæ Sodomia?
- ¶. Illa, quæ externo opere ab alterutra parte
est completa, uti & Sodomia, non tantum
inchoata, sed debet esse in ratione peccati
consummata.
5. Quinam, & quomodo incuruntur reliqui
casus?
- ¶. 1. Casum homicidii voluntarii incurunt
omnes, qui irâ, odio, invidiâ, aut simili pravâ
affectione alium privatâ authoritate invadunt,
& occidunt, nec excusantur illi, qui homicidæ
auxilium ferunt, nisi in aliqua Diœcesi solus
actus homicidii per se immediate commissus
reservaretur.
- ¶. 2. Ut incurrit casus reservatus ratione
incendii, debet illud esse vel in se volun-
tarium, vel in causa culpabili.
- ¶. 3. Quicumque feminam &c. violenter rapuit
contra voluntatem feminæ, aut eorum, sub
quorum potestate erat, sive ad copulam tan-
tum carnalem, sive ad ducendum in uxorem,
incurrit casum reservatum.
- ¶. 4. Solus reservatur incestus cum consan-
guineis, non autem cum affinibus: proinde
non incurrit hunc casum reservatum, qui
cognovit sororem, vel neptem uxoris sue;
neque Clericus, Sacerdos, aut Religiosus,
qui rem habet cum muliere soluta, vidua, vel

conjugata, quia quamvis ex parte agentis
vocari possit incestus spiritualis, non est
tamen cum sanctimoniali.

¶. 5. Nomine Patris, & Matris non solum in-
telliguntur mei, sed & uxoris meæ parentes,
quos, si vel pedibus, brachiis, ense, baculo,
lapide &c. graviter læserim, casum incurro
reservatum.

¶. 6. Qui misit sortes, vel quid æquivalens ad
cognoscendum secretum præteritum, vel fu-
turum, ex pacto inito cum dæmonie implicitè,
vel explicitè, incurrit casum reservatum, uti &
adulter, qui est notorius vel jure, vel famâ.

C A S U S XXII.

Pœnitens, post diligens examen suorum peccato-
rum institutum, confitetur Superiori Eccl. omnia pec-
cata, quæ occurunt, recordatur postea à peccati ali-
cuius reservati, à quo potuisset à Superiori absolvī,
si fuisset recordatus. Accedit Confessarium alterum,
in reservata non habentem potestatem; queritur,
an ille Pœnitentem possit absolvere à peccato reser-
vato, cuius nullam fecit in novissima Confessione ex
oblivione mentionem?

¶. Probabiliter aff. Si Confessio aliás fuerit
valida: quia absolvantis intentio saltem tacita est,
per suam absolutionem liberare Pœnitentem,
quantum potest ab onere suorum peccatorum,
utpote sciens voluntatem ad se venientis esse, ut
obtineat tale beneficium, quod cum ipse posset
conferre, existimandus est pro sua Pastorali,
paternaque cura nolle deesse illi in ullo necessa-
rio

tio ad eamdem exonerationem. Qui de veritate
hujus resolutionis dubitaret, remittat Pœnitentem
vel ad eumdem superiorem, vel alterum, qui
potestatem habet absolvendi à reservatis.

§. 2. *De Sigillo Confessionis.*

Sigillum Confessionis est, *Obligatio ea tacendi,*
qua viâ Confessionis innotuerunt.

Illo sigillo silentii obstringitur Confessarius
jure naturæ, Divino, & Ecclesiastico. Extenditur
autem hæc obligatio non solum ad Sacerdotem,
sed etiam ad quoscumque alios, qui peccata
Pœnitentis solâ Confessionis viâ cognoscunt.

Sigillum Confessionis directè infringi potest,
& indirectè.

Violatur directè, quando peccatum aliquod in
particulari, vel circumstantia illud concernens
verbo, scripto, vel facto aperte manifestatur: in-
directè autem violatur, quando aliquid agitur, vel
dicitur, ex quo conjectura fieri, vel suspicio nasci
potest, quod quis mortaliter deliquerit in genere.
Hinc sigillum violatur à Confessario narrante so-
tali personæ absolutionem denegâsse, quia ex
hoc dicto, ut minimum suspicio de gravi pec-
cato, vel de indispositione Pœnitentis nata est
audientibus suboritur.

Attende, quod omnia ad materiam sigilli
spectent, quæ Pœnitens in ordine ad manifesta-
tionem peccati exponit, ut si defectum aliquem
naturalem denudet, V. G. si insinuet se spurium.
Sed quæ merè incidenter narrantur, & nullam

296 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIA.

cum Confessione connexionem habent, neque
in dedecus Pœnitentis, aut alterius personæ
cedunt, ad materiam sigilli non pertinent: sed
caveatur periculum scandali.

Peccata in Confessione audita ad jocum enar-
rare, et si nullum sit revelationis sigilli pericu-
lum, valdè apparet irreligiosum.

P. 1. Quid agendum Confessario, qui interro-
gatur de peccatis in Confessione auditis?

¶. 1. Si interrogetur à persona privata hoc
modo: *Non scis, vel non audisti, an Petrus
V.G. perpetraverit illud homicidium?* Respon-
dere potest: nescio, si viâ solius Confessionis
noverit. Ratio est, quia tales interrogations
intelligi solent, & debent de iis, quæ tali viâ
noscuntur, ut salvâ conscientiâ, & Sacra-
menti reverentiâ dici possint.

¶. 2. Si Confessarius interrogetur à Judice hoc
modo: *Nescis, an Petrus hoc facinus com-
miserit?* Licitè respondet nescio, & si opus
fuerit, id ipsum juramento confirmare potest,
quia interrogations judicum intelligi solent,
ac debent de criminalibus, de quibus juri-
dicè possunt interrogare: undè responsio
præfata ex circumstantiis hunc habet sensum:
Non scio tali viâ, de quâ me interrogas.

¶. 3. Si Confessarius interrogetur hoc modo:
*Non scis ex Confessione, quod talis commiserit hoc
peccatum?* Illicitè respondet nescio, sub intel-
ligendo, ut tibi dicam, quia esset mera restri-
ctio mentalis. Confessario igitur incumbit
sic

neque
rsonæ
t: sed
enar-
ericu-
terro-
s?
a hoc
Petrus
spon-
ssionis
tiones
ali viâ
Sacra-
e hoc
com-
opus
o test,
olent,
s juri-
onfio
nsum:
modo:
it hoc
ntel-
estri-
mbit
sic

sic interrogantem graviter reprehendere, & exponere, quod talis interrogatio impia sit, & sacrilega, adeoque ad eam neque responderet velit, neque possit.

Quam sancte, non tantum Superiores Ecclesiastici, sed & etiam judices saeculares hoc venerentur Confessionis sigillum, patet ex innumeris exemplis, e quibus duo dumtaxat adjungo.

P R I M U M.

Elebris Autor Lusitanus (rodericus à Cugna Archi-Episcopus braccaren sis tract. de Confess. sollicitantibus, q. 13. num. 38.) adfert extraordinarium exemplum revelatae Confessionis saeculo 16. Circumstantiae adeo particulares sunt, ut non possim non omnes adferre. Catalanus quidam, ait, ad mortem damnatus propter commissum homicidium, Sacerdoti confiteri denegabat, dum ad supplicium traheretur. Tantâ violentiâ cunctis exhortationibus in hanc causam ipsi datis, nullam tamen resistentiam rationem allegans, persistebat in proposito, ut pertinacia illa ex mentis turbatione, ex metu mortis ortâ, proficiisci videretur. Admonetur S. Thomas à Villa-nova Archi-Episcopus Valentiæ in Hispania: dignabatur sollicitus Archi-Præsul sese impendere, ut reum hunc ad Confessionem perduceret, ne anima simul cum corpore periret: sed S. Prælatus mirum in modum obstupuit, dum causam hujus negationis ex reo didicit. Pœnitens ei dicebat,

T 5

se

se meritò Confessionem horrere, cùm unicè condemnatus esset in vim revelationis homicidii à Confessario suo factæ, quod ipsi in Confessione declaraverat. Quòd mortalium nullus perpetrati criminis conscius fuerit, sed quòd illud Confessario confitens, candidè totum crimen declarasset, locum, in quo occisum sepelierat, indicasset, aliasque omnes circumstantias. Has autem circumstantias eo modo à Confessario revelatas coram Judice negare non potuerat, quod causa condemnationis ejus fuerat. Addebat, se postmodùm scivisse, quod non sciebat, dum confitebatur, Confessarium suum esse occisi Fratrem, & vindictæ desiderium Sacerdotem hunc ad Confessionis revelationem exstimulasse. His auditis judicavit Villa-Novanus hoc incidens ipsâ causâ attentius esse considerandum, cùm non jam de cuiusdam punitione, sed de damno Religionis ageretur. Confessarium ad se appellari iussit, quo hoc revelationis crimen fasso, Judices cœgit sententiam revocare, & omnium plausu reum absolvere, ut exemplum inviolabilis reverentie erga Confessionis sigillum habendæ statueretur: & ut disciplinæ ordo observaretur, magnus hic Archi-Præsul hunc Confessarium puniri iussit. Verum est, quòd punitionem diminuerit in gratiam, quòd tam facile crimen suum fassus fuisset, & occasionem subministrasset monstrandi exemplum venerationis, quam & judices pro Confessionis sigillo habere tenentur. Subjicio ex Theophilo Raynaudo

AL.

ALTERUM.

Horret animus ad Judæ novi sacrilegam
avaritiam Anno 1579. diabolo incentore
parratam. Caupo truculentus, apud Tolosates,
exceptum hospitio advenam, jugulavit in Hy-
pogæo, clam omnibus, ac ne domesticorum qui-
dem illo, vel sceleris administro, vel conscio.
Post aliquod tempus, tangente Deo cor homi-
cidæ, expiavit conscientiam apud Confessarium,
eique cædem advenæ, & cædis modum, ac sepul-
turæ locum aperuit. Nusquam comparente post
non breve tempus eo, qui cæsus fuerat, cognati
omnes latebras frustra scrutati, præmium
publicè proponunt per præconem, iis, qui annun-
tiarent, quid de illo homine factum esset. Cau-
ponis Confessarius quæstum æstimans pietatem,
auditâ mercede non contemnendâ indicibus
constitutâ, furtim admonuit, quærendum esse in
hypogæo cauponis: ibi enim infossum jacere, qui
desiderabatur. Refossum est cadaver, & compre-
hensus caupo, priusquam tormenta admoveren-
tur, reum se cædis fassus est, quam tamen con-
stanter negavit ab ullo mortalium, quam à suo
Confessario prodi potuisse. Senatus apprimè
Catholicus, comperto eo corrupto fonee notitie,
quâ caupo gravabatur, habuit cum pro innoxio,
nec passus est, perfidi, & omni notâ, ac multâ
digni Confessarii delationem nocere reo, sed
donec is aliundè parratæ cædis insimularetur,
pronuntiavit insontem. Omnidè Christianè, &

Re-

unic
mici
fessione
petrati
Confes-
claras-
icasset,
em cir-
velatas
d causa
se post-
onfite-
rem, &
d Con-
auditis
â causâ
jam de
igionis
fit, quo
coëgit
i renn
rentia
eretur:
us hic
i jussit.
in gra-
s fuis-
trandi
es pro
bjicio
AL.

Religiosè, & ad consulendum in columitati tam necessarii Sacramenti per opportunè. Confessarius idem, Senatu judicante, actus in furcam est, & cadaver crematum. Hæc laudatus Theophilus Raynaudus è Societate JESU Theologus tom. 17. fol. 604. in suo Prato spirituali.

C A S U S XXIII.

Petrus Clericus cognovit Annam filiam Henrici, que concepit, & à parente in distante longè locum missa, peperit masculum: quo post aliquot septimanas mortuo, reversa unde venerat, Confessarium adiit, qui noluit eam absolvere, nisi complicem noverit, & insuper dixit ei, quod eam non absolveret, nisi illi daret facultatem utendi istâ Confessionis scientiâ. Illa filia absolutionis impatiens, nominavit Petrum complicem, & prædictam facultatem dedit. Postmodum accusatus fuit prædictus Clericus, qui jam pridem pœnitentiam egerat in cinere, & cilicio, & inde à superiore fuit punitus. Queritur, qualiter peccaverit Confessarius?

B. 1. Peccavit mortaliter. 1. Inducendo istam filiam ad detrahendum Clerico, & toties, quoties induxit, donec persuaserit. 2. Fuit sigilli Confessionis violator, quia viâ illicitâ extorsit ab ista filia facultatem utendi istâ scientiâ Confessionis. Unde talis Confessarius obligatur ad totalem restitutionem famæ Clerici infamati, & integrum reparationem omnium damnorum inde securorum.

Observandum in hac materia, quod expressus, non coactus Pœnitentis consensus requiratur, ut

pec-

peccatum in Confessione auditum manifestetur, & quidem ille consensus peti non debet, nisi ob causam valde gravem. Cæterum satius videbitur Pœnitentem inducere, ut peccatum illud extra Confessionem declareret, quatenus Confessarius ad ejus manifestationem securius procedere queat.

CASUS XXIV.

Episcopus firmiter intendit alicui, quem Sacerdotem credit, hominem probum, illiusque muneric capacem estimat, Pastoratum conferre; interim soli Deo, & Episcopo nota est hæc firma resolutio. Casu accidit, quod is Sacerdos creditus confiteatur Episcopo, eique aperit se à deoem annis Sacerdoti libus muniis functum fuisse, se tamen Sacerdotem non esse, quia literas falsas exhibuerat. Aperit ultrius se versari in multiplici peccaminoso habitu, putâ Sodomie &c. Quæritur 1. An Episcopus teneatur remanere in resolutione sua conferendi Pastoratum? 2. An Episcopus, supposito eum non obligari, peccet mortaliter, si huic falso Sacerdoti in tali statu Pastoratum conferat?

Ratio dubitandi est, 1. Quia aliqui credunt, quod utatur scientiâ haustâ solùm ex Confessione, quod citrâ sacrilegium fieri non posse arbitrantur, dum illud spectat ad personam determinatam. 2. Quia uteatur istâ scientiâ in detrimentum illius hominis, cuius conditio sit pejor, propter scientiam ex Confessione acquisitam; nam Parochus fuisset, nisi supra-dicta Confessio cum indignum demonstrasset.

R. Ad

¶. Ad 1. Episcopum non obligari ad manendum in proposito suo, quia nullus obligatur perseverare in proposito malo, cuius executio adversatur gloriae Dei, & saluti plurimarum animarum, quando fruitur plenâ libertate mutandi hoc malum propositum. Præfatus autem Episcopus plenâ istâ libertate fruitur, nam in particularibus circumstantiis, uti potest scientiâ ex Confessione habitâ de indignitate illius hominis, ista propositi mutatione nullum præjudicium adserente sigillo Confessionis, cum ista intentio soli Deo, & Episcopo nota sit, proinde periculum non est Confessionem odiosam reddendi.

Ad 2. ¶. quod Episcopus peccaret mortaliter, si in tali casu isti prætenso Sacerdoti Pastoratum conferret, quia absque crimine malum propositum executioni dari non potest, dum ad illud exequendum nulla est obligatio.

CASUS XXV.

Cajus Titium, primariâ quâdam dignitate, quam instat electio, dignum putat, & suffragium suum in eum ferre meditatur; interim Cajo confitetur Titius, eumque prorsu indignum, & incapacem reperit. Quaritur, an Cajus suffragium suum non dare possit Titio, licet ejus indignitas, & incapacitas solùm per Confessionem sibi innotescant?

¶. Cajum (nisi ante declarasset suam intentiōnem) posse Titio non dare suum suffragium; quia licet utatur scientia ex confessione haustafit tamen sinè violatione sigilli, quia seposita illa scientia, posset suffragium suum alteri conferre.

CA.

C A P U T III.

*De modo administrandi sancte hoc
Sacramentum.*

§. I. *Præmittitur praxis generalis,
& compendiosa.*

Extra casum vel extremæ, vel moralis necessitatis, Sacerdos probabiliter dispositum non absolvat, quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis.

- P. I. Quomodo Confessarius dispositionem vel bonam, vel malam Pœnitentis cognoscat, qui prima dumtaxat vice ejus confessionem excipit?
- P. Ex narratione tenoris vitæ, & exploratione modi vivendi, & agendi, operibusque Pœnitentiæ, & externis emendationis indiciis.
2. Quomodo se geret Confessarius, qui in pago aliquo pœnitentium sibi ignotorum excipit confessiones?
- P. I. Dum pœnitens quoddam exponit peccatum mortale, & maximè adhæsivum, putat pollutionem, inquirat, an sæpè in istud peccatum lapsus sit, idemque in præteritis confessionibus adhuc exposuerit? Si ita: petat, qua occasione iterum in idem lutum reincidenterit: si sinè remorsu conscientiæ, & ex crasso neglectu mediorum à Confessario præscriptorum peccaverit, juxta mox dicenda, vel relabentium, vel consuetudiniorum adscribat

ca-

catalogo, cumdemque cum eo servet in procedendo modum, quem subne^{ct}emus.

¶. 2. Si vehementi agitatus temptatione, vel insolita allectus occasione peccatum iteraverit, & peccandi affectum prius extirpare conatus sit, quam ad confessionem accesserit, pariterque idonea detestationis peccatorum adferat indicia, judicet Confessarius esse peccatum fragilitatis, & pœnitentem absolvat.

¶. 3. Si Pœnitens peccata mortalia non exponat, inquirendus est status Pœnitentis, & attendenda ejus conditio: an aliqua non fecerit, quæ juxta ejus conditionem sunt illicita, an non omiserit, ad quæ obligabatur. Rusticum V. G. interrogabit, an in vendendo non commiserit fraudem? An jurandi non habeat consuetudinem? &c.

¶. 4. Si Confessarius nec peccati mortalis commissi redarguere possit Pœnitentem, diligenter attendat, an amore DEI vacuus non sit, & dum eo vacuus non vixerit, quod si ita, proponat ipsi non tantum damnandos eos, qui in graviora labuntur crimina, verum etiam eos, qui primum, maximumque in lege prævaricantur præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* Ec.

3. Ex quibus indiciis dignoscet Confessarius Pœnitentem amore Dei præditum?

¶. Sola assertio Pœnitentis, quod habeat amorem Dei super omnia, Confessarium securum reddere non potest. Ratio est, quia multi arido corde

corde amoris protestationes proferunt, & vix reperiet ullum, qui se Deum diligere ex toto corde non profiteatur. Itaque ex modo, quo Pœnitens ad susceptionem Sacramenti se præparavit, & ex vita serie colligi potest, an amore Dei prædictus sit. Si de Deo frequenter, & cum pia affectione cogitet. Si sollicitus sit, ne Deo displiceat, & mandata Dei, ut ipsi placeat, servare curet, probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Ex similibus indiciis Confessarius moralem certitudinem de victri- ci Dei dilectione, & idonea pœnitentis dispo- sitione haurire potest.

§. 2. *Regulæ generales dignoscendi Pœni- tentis indispositionem.*

1. Si actuali peccandi desiderio deprehendatur implicatus, V. G. si bona aliena restituere, famam læsam reparare detrectet. 2. Qui de pec- catis se conteri aut non velle, aut non posse pro- fitetur. 3. Qui crimina defendens ut licita, aut mortalia sustinens esse venialia, ab iis commit- tendis noluerit abstinere. 4. Qui proximas pec- candi occasiones, sive externas, sive internas deserere, aut remediis ad conversionem neces- sariis uti recusat. 5. Qui nullam examini con- scientiæ adhibuerit diligentiam. 6. Si satis- faciendi careat voluntate, aut rationabilem tenuat acceptare pœnitentiam. 7. Qui Fides caret ad salutem necessaria.

U

§. 3.

§. 3. Regulæ practicæ inquirendi in statum
Pœnitentis, si non innotuit.

UT Confessarius in hujus tam generalis, quam peculiaris obligationis admodum necessaria indagine promptior reddatur, primo, quæ circa generalem inquirenda, præmittimus.

Oportet in primis in memoriam redigere creationis nostræ, & redemptionis finem, qui est vivere non suis cupiditatibus, sed Deo.

Præterea non excidant potissimæ vitæ Christianæ regulæ, quarum facile principes: *Diligite Dominum Deum tuum &c. Matth. 22, Quarite primum regnum Dei, & justitiam ejus. Nemo potest duobus dominis servire: non potestis Deo servire, & Mammonæ. Matth. 6. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. 1 Joann. 2.*

Quam multi proh dolor! ad lethalem usque culpam ab his deflectunt: alii enim finis ultimi loco non Deum, sed honores habent; alii nummos, & opes; alii vanitates, commoditates, & res terrenas, quas cordi magis habent, amant, complectuntur, quam Deum, Creatorem, Redemptorem. Hi proinde à labe mortali haud immunes sunt, dum in illis, in quibus potiores partes habere, & dominari debuerat Dei amor, seculi cupiditas primum sibi vindicat locum. Quia in re mortalem etiam noxam contrahere contingit illos, qui potissimam vitæ partem insumunt potitando, lusui & venationi indulgendo, procando, & aliis id genus ad sensus oblectandos,

aut

aut otium (quod ajunt) fallendum, quo se mun-
dum ita diligere perhibeant, ut caritas Patris
non sit in eis.

Eodem morbo laborant, quæ totæ sunt in va-
nitatibus, & nihil aliud, quam cultui, & orna-
mento student, non alio fine, quam ut hominibus
complacent.

Hæc de generalibus: jam ad examen (ubi opus
fuerit) de officio, aut conditione peculiari
transeundum. In hoc, quid vitiorum in isto op-
ficio, in hac arte, aut quovis peculiari vivendi
genere potissimum committi soleat, inquirendum.

Multos invenias sartores, cordones, & alios
id genus opifices, qui Festis, Dominicisque die-
bus ab opere suo servili, justâ absente causâ, se
non abstinere consueverunt.

Multos quoque comperies, qui in causis fo-
rensis quoquo modo versantes, iniquis perin-
dè ac æquis patrocinantur causis.

Alios, qui in Magistratu sedent, consulare &c;
munus obeunt, ad quod juramento cum restitu-
tione mentali præstito, aut alio iniquitatis pal-
lio evecti fuere.

Divites sæpenumerò in statu peccati mortalis
esse arguuntur, quia eleemosynas (quarum
magnitudinem ex illorum opulentia judicabis)
pauperibus clargiri negligunt, ita quidem, ut
graviter in dilectionis proximi mandatum im-
pingant.

Si nobiles, milites, atque in primis militari
inter hos dignitate fulgentes, tribunal tuum

U 2 subeunt,

subeunt, de duellis examen instituto, an illa offerre, an oblata acceptare quācumque datā occasione statuant: an eos, qui ista offerre, aut subire parati sunt, non majores astiment aliis, aut dignitatibus citius admoveant, aliis velut meticolosis posthabitatis.

Præterea à Patribus-familias, & matribus inquirendum, quo pacto prolem suam educent, quibus moribus imbuant, quam curam gerant familiarum, ancillarumque, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, inquit Apost. i Tim. 5. Fidem negavit, & est infideli deterior.*

Juvenes, & filias de conversatione cum personis alterius sexūs, de verbis, factisque libidinosis examinatos oportet, sed cautè, & castè. Quandoque etiam de arcta familiaritate, quæ inter personas ejusdem sexūs intercedit cum verborum, vel factorum impudicitia, (quod in sexu femineo non adeò rarum esse dicitur) super desideriis venereis, delectationibus obscenis, & interna voluntate, examen instituendum: multis enim crebrò animus est ista committere, si liceret sine infamia, aut salsem sinè pœna inferni.

Neque solùm huic examini subjiciuntur, quæ juvenes, aut filiæ in se patrant, vel simul cum alio; verùm & illa, quorum aliis authores sunt, & ansam præbent; quo in genere non postremæ sunt illæ filiæ, quæ (licet castas se haberi velint) juvenum libidini deditorum non fugiunt con-

for-

sortia, petulanter ornatae, quo fit, ut illi libidinem suam tum verbis, tum desideriis, eam nocti occasionem foveant, cupidineque suâ oblectentur; imò quædam ex hoc gloriam aucupantur, & mirè superbiunt, quòd venustate suâ, & ornamenti lenociniis juvenes irretire queant, & ad libidinem, à qua se procul abesse autumant, illorum animos succendere.

Satis superque etiam notum est, quām crebrò erretur in beneficiorum officiorumque tam Ecclesiasticorum, quām sacerdotalium distributione, dum alii prorsus indignis, alii minùs dignis ea conferunt cum magno Republicæ quā sacræ, quā profanæ dispendio: quidni igitur Pœnitentes quidam de hoc exceptionis personarum vitio examinentur?

Quamquam hæc in primis necessaria sint, insoliti tamen ingruere possunt eventus, quibus istud examen tanto conjungatur periculo animæ Pœnitentis, ut periculum, quod prævidetur, gravius sit altero, quod ex omissione examinis nascitur: quapropter hoc eventu examen omitendum erit.

Quod de insolitis dixi, facilius iis videtur futurus locus, quando Pœnitens versatur in extremo vitæ periculo. E. Gr. eveniet, ut quis in vitæ discrimine versans obnoxius sit cùdam obligationi, & hujus suæ obligationis, utpote ipsi meribundo occultæ, creditur non meminisse, & tamen ita se res habere potest, ut si Confessarius peculiare dœca, vel simili obligatione

U;

mo-

310 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIAE.

moribundi examen instituat, prospiciat illum in tentationem ad mortale, cui succumberet in æternam suam perniciem, hoc examine conjicendum; non est ambigendum, quin inquisitio illa singularis prudenter sit omittenda, magis quæ è re pœnitentis erit, illum exhortari, ut peccata sua, quia contra Deum sunt, generatim, vel nonnihil peculiariūs, si ita visum fuerit, illius speciei peccata, quia Deum offendunt, detestetur, nihil interim injiciendo sermonis de singulari illa & latente obligatione. Eo scilicet posito, quod absque moribundi damnatione fieri nequeat, & ex adverso, ut supponitur, æstimeretur, quod obligatio ista sinè peccato saltem mortali ignoretur à moribundo.

Verum quia multi Confessarii hodiè quamcumque ferè ansam arripiunt, quâ ad se trahant obligationem non inquirendi in has, vel istas obligationes Pœnitentis, eos præmonitos velim, ut sedulò apud se expendant, an fortè examen istud omittendo, ubi non oportet, hâc unâ omissione non erunt moribundo isti causa æternae damnationis.

Maximâ hîc opus est prudentiâ, ac circumspectione, ne ad dexteram devietur, aut ad sinistram: si proinde usquam, hîc quâm maxime necessarium est, ut unctio Divina Confessarios doceat.

Dictorum epilogus est: Confessarii, utpote judicis, munus postulat, ut in statum Pœnitentis, nisi jam notus fuerit, pro dubii ratione in-

qui-

quirat, tamque generalia, quam specialia discutiat, quibus & sedulò, & prudenter peractis, si dubitatio nondum eximitur, nondum est, quòd Absolutionem impendere præsumat.

Essent fortassis, qui horum occasione importunas, ridiculas, exoticasve instituerent interrogations: illos etiam, atque etiam monitos volo, ne ad alterum deflectant extremum, & scyllam vitare cupientes, in charybdim incident.

CAPUT IV.

*Interrogatorium circa decem præcepta
Decalogi.*

Confessarius, cui Pœnitens ignotus est, tria interroget: *Primò*, tempus ultimæ confessionis, & an impleverit pœnitentiam? *Secundò*, statum Pœnitentis, an conjugatus, vel solitus, miles, mercator, officialis, clericus in sacris, beneficiatus, religiosus &c. *Tertiò*, an paratus veniat? Deinde interroget, si judicaverit necessarium, circa decem præcepta hoc modo:

§. I. Circa primum Præceptum quinque.

1. *Circa Fidem.* An consenserit in hæresim, dubitaverit de providentia Dei, animæ immortalitate, futura vita, an sciat necessaria prudibus? 2. *Circa spem.* An desperaverit, tentarit Deum, spem totam in creaturis posuerit? 3. *Circa Caritatem.* An odio Deum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni ob peccatum

312 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIAE.

rum mortale impositam &c. An amaverit Deum plus quam creaturas, tempore debito, in periculo gravis tentationis, usu Sacramentorum. 4. *Circa Religionem.* An oraverit aliquando, praecipue occasione mortis spiritualis, vel necessitatis proximi &c. 5. *Circa vitia opposita Religioni.* An fidem praestiterit superstitionibus, vanis observantiis. An iis usus fuerit, & ad quem finem &c. Videte quæ diximus de maleficio fol. 147. & seq.

§. 2. *Circa secundum Præceptum tria.*

1. *D*E Blasphemia. An blasphemaverit Deum, B. Virginem, Santos, creaturas. Quomodo, attribuendo Deo, quod non habet, vel auferendo quod habet, vel tribuendo creatura, quod est Dei proprium, vel imprecando Deo aliquod malum. 2. *De iuramento.* De veritate ejus, an mendacium cum juramento protulerit. *De justitia,* an promiserit facere quod malum est, vel non facere, quod bonum. *De iudicio,* an indiscretè, & sine ulla causa ex temeritate, consuetudine juraverit. 3. *De voto.* Qua de re, an tardus in eo implendo, an promiserit, quod non est bonum, an fregerit, & quoties; videat an possit commutare, dispensare, &c.

§. 3. *Circa tertium Præceptum quatuor.*

1. *D*E Missa in Festis, & Dominicis, an totam, vel notabilem partem omiserit sine causa, vel cum magna distractione confabulatus sit.

2. *D*o

1. *De opere servili*, vel alio prohibito in festis per tempus notabile, an ipse id egerit, vel aliis fuerit causa, & quot, ut ipsi agerent. 3. *De jejunio* in Quadragesima, Vigiliis &c. Confessione annua, Communione Paschali. 4. *De communicione* cum excommunicato non tolerato, vel an ipse excommunicatus non participabit in Divinis.

§. 4. Circa quartum Præceptum sex.

1. *De dilectione proximi generali*, & de signis communibus erga inimicos, remissione injuriæ, & pace petita. 2. *De beneficentia corporali*, ut eleemosyna in necessitate extrema, vel gravi, & de superfluis ratione statūs. 3. *De beneficentia spirituali*, ut correptione fraterna, de peccato mortali, quando est spes emendationis, opportunitas personæ, & temporis. 4. *De obligatione filiorum erga parentes*. Primo in dilectione etiam externa, subventione in necessitate, impletione testamenti, & legatorum. Secundo, in reverentia, an maledixerint, percusserint, optarint mortem. Tertio, in obedientia in rebus pertinentibus ad gubernationem domūs, ad bonos mores, statum matrimonii &c. suscipiendum, & salutem animæ. 5. *De obligatione parentum erga filios*, tum in cura, ut sciant res necessarias, tum quoad mores, permittendo eos malè vivere, vel præbendo malum exemplum. 6. *De obligatione viri respectu uxoris*, ut scilicet non afficiat injuria, non

U § per-

percutiat, non neget debitum &c. & contra uxoris respectu viri in obedientia in spectantibus ad mores & gubernationem familiæ, in reditione debiti modo dicto, & cura, ne suâ morositate & rixis blasphemare, vel maledicere faciat maritum,

§. 5. Circa quintum Præceptum quinque.

1. **S**i optavit sibi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, grave malum, vel gavisus est de morte patris, fratri, &c. ob hæreditatem, vel ex invidia, odio &c. Si morosè delectatus sit de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate. 2. Si protulit minas, contumelias ex ira, vel convicia. 3. Si occidit injustè, mutilavit &c. an mater &c. non fuit causa abortus. 4. Si ad aliquod supradictorum cooperatus est, novem illis modis, de quibus in versibus:

Fusio, Consilium, Consensus &c.

5. Si fuit aliquo scando causa mortis spirituatis, inducendo ad peccatum, vel publicè pecando &c.

§. 6. Circa sextum Præceptum sex.

1. **S**i habuit turpes cogitationes cum consensu in delectationem, vel in actum turpem, si verba in honesta, aspectus, tactus libidinosi intercesserunt, & cum quo, vel cum qua. 2. Si cognovit fœminam, an soluta, virgo, conjugata, consanguinea, affinis, sacra, si in vase naturali, si extra vas &c. 3. Si contra naturam per

mol-

mollitiem, sodomiam, bestialitatem. An pollutionem voluntariam passus fuerit in vigilia, & quæ persona fuerit objectum cogitationis. 4. Si insecutus est fœminam diu, an pervenerit ad verba, literas, munera, oscula impudica, tactus &c. si ornatu, musicâ, & aliis ob malum finem placendi, & provocandi ad libidinem usus est. 5. Si lectione librorum impudicorum se provocavit ad libidinem, optavit ab aliis concupisci, jactavit se de hujusmodi peccatis. 6. A conjugato si petivit debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti castitatis, periculi abortus, vel effundendi semen extra vas.

§. 7. *Circa septimum Præceptum quinque.*

1. **D**e furto in notabili quantitate etiam à propriis parentibus, de damno illato, an jussus in alia Confessione restituit. 2. De fraudibus in emptione & venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, si emit rem alienam scienter. 3. De usuris in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione, in cambiis, societatibus, censibus. 4. De fraudibus in ludo, an cum personis inæqualibus quoad artem, inductis importunis precibus, aut minis. 5. De animo furandi aliena, retinendi cum damno domini, de concupiscentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis,

§. 8. *Circa octavum Præceptum duo.*

1. **D**e injuriis extra judicium. 1. De mendacio perniciose, 2. De detractione, mentiendo, vel

vel dicendo verum occultum, quod infamer, vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi, vel audiendo, & cooperando infamacioni. 3. De secreto revelato absque justa causa, apertione literarum alienarum. 4. De susurratione, seminando discordias, irrisione animo confundendi. 5. De maledictione, animo ut grave malum eveniat, judicio temerario, & suspicione. 2. De injuriis in judicio ex parte judicis, accusatoris, rei, testis, advocati, procuratoris.

§. 9. Circa nonum Præceptum quinque.

1. **D**E *Superbia*, an putaverit se habere bona, vel à Deo ex propriis meritis, vel tribuit quæ non habet, vel alios contempsit inordinate. 2. De vana gloria, quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis artibus, aut relatâ ad malum finem. 3. De inobedientia, & ambitione. 4. De gula, an per eam violatum sit præceptum, vel ea quæsita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi, vel propter eam debita non solvantur.

§. 10. Circa decimum Præceptum quinque.

QUæri potest in fine. 1. An sciat necessaria, & obligationes proprii statûs. 2. An aliquid aliud se offerat memoriæ conscientiam gravans. 3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiæ. 4. De ingratitudine in reddendis

gratiis pro beneficiis, recidendo in peccata. 5. De periculo peccandi, cui s^æp^e se exposuit, de dubiis, quæ habuit, an aliquid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis. Denique accuset se pœnitens de omni alia re, in qua Deum offendisset, vel fuisset causa, ut alter offenderet, &c.

Nota tamen, quod hæc omnia, & singula non à quocumque Pœnitente petenda sint, sed prudens Confessarius illa tantummodo interrogabit, quæ probabiliter judicabit esse commissa à suo Pœnitente, cum quo agit, habitâ ratione ipsius statûs, conditionis, & officii: & quando advertit ipsum Pœnitentem ex se satis suam conscientiam exonerare, non debet Confessarius ipsum turbare, & ejus interrumpere Confessionem, nisi omittat quasdam circumstantias explicatu necessarias.

§. II. *Quædam notanda in examine Peccatorum carnalium.*

METHODUM EXAMINANDI IN HAC MATERIA CIRCA
detestandæ pollutionis peccatum deditus
fol. 24. modò quæ specialia occurunt, an-
nectimus.

1. Parcè, & cautè se gerere debent Confessarii in interrogationibus peccatorum carnis cum mulieribus: quia præstat aliquando Sacerdotem minus perfectè peccatum Pœnitentis intelligere, quam vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare.

2. Porro

2. Porrò Confessarii debent abstinere à curiosis,
 & sacrilegis interrogationibus, quæ profanant,
 & odiosum reddunt hoc Sacramentum, cum
 scandalo Pœnitentium: & licet ipsi Pœnitentes
 fortè non scandalizentur, alii tamen, qui ita agi
 intelligunt, offenduntur: ideoque non tantum
 possunt, sed etiam tenentur Pœnitentes non ob-
 temperare ejusmodi interrogationibus, quæ ad
 peccata illorum non pertinent, neque sub sig-
 lum cadunt. Undè non tenetur Pœnitens etiam
 interroganti Sacerdoti aperire quis sit ipse, aut
 quis sit complex, quando ad peccati explicatio-
 nem id non pertinet: ubi habitet, aut cui coha-
 bitet, quando ea peccato impertinentia sunt:
 neque an sit conjugatus, si matrimonium non
 offendit, neque an sit Religiosus, si castitatem,
 paupertatem, obedientiam non violavit. Contra
 illos Confessarios invehitur *Malderus* tract. de
 sig. Conf. c. 19. dicens, eos habere partem cum
 negotiantibus in templo, qui curiosè inquirunt
 ea, quæ ad peccata Pœnitentis non pertinent, vel
 quæ speciem avaritiæ præ se ferunt, V. G. an
 Pœnitens sit dives, an proles habeat, an testa-
 mentum fecerit, an pia legata fecerit, & in cuius
 utilitatem, maximè, si addat commendationem
 pro se, aut pro aliis, & suadeat mutationem factæ
 dispositionis sive justa causa: fœdè, & sacrilegè
 abutuntur sacra Confessione ad nundinationem,
 qui non solùm se hæredes scribi procurant, sed &
 Pœnitentibus enormes donationes postmodum
 pœnitendas inter vivos accipiunt, vel sibi erogari

pro⁴

procurant turpis & sacrilegi lucri aviditate,
quæ Pœnitentes ipsi contemptu divitiatum,
eorum suasu à se abdicant, ut jam ipsi magis
sint domini peculii confitentium, quam ipsi
Pœnitentes.

Ita faciendo incidunt in judicium Giezi pueri
Elisæi, & lepra, quam gratis non curant, eis inci-
piet adhærescere. Præeat potius Sacerdos in pau-
pertatis studio pœnitentes, quos ad divitiarum
contemptum excitare debet. Thezaurizent po-
tius Patres spirituales suis filiis spirituales thesau-
ros, & cœlestes; terrenos sibi ab iis non capient,
non enim debent filii parentibus thesaurizare.
Non inveniatur itaque iniquitas ista in hæredi-
tate Jacob. Ita Illustriss. Malderus.

3. Confessarii non debent nimis esse impor-
tuni in inquirendis circumstantiis solùm aggra-
vantibus, præsertim quando Pœnitens nullam
ejus rei præbet occasionem, & ex examine harum
circumstantiarum majus rimetur malum, ne ni-
mis emungendo, sanguinem eliant.

4. Non descendant etiam ad particulares
circumstantias peccatorum carnalium, quia
delectabilia, quanto magis considerantur, tanto
magis sunt apta movere, & nocet talis interro-
gatio & confessori, & confitenti: sufficit enim
habere ultimam speciem peccati in hujusmodi,
& circumstantias, quæ cadunt sub speciali pro-
hibitione: undè nullo modo descendant ad alia
specialiter, ne potius sint contaminatores,
quam Confessores, qui sèpissimè peccant mor-
taliter,

320 TRACT. DE SACRĀM. POENITENTIA.
taliter, delectando hujusmodi interrogatiō-
bus, & propter delectationem faciendo eas.

C A P U T V.

*Resolutiones practicæ procedendi cum re-
labentibus, & consuetudinariis.*

§. I. *De crebro in crimina relapsu.*

Non diffiteor, quin pœnitentia sœpè in idem
crimen relabentum possit esse quandoque
vera: sed id probandum assumo, recidivam cre-
bram, & citam in crimina adeò esse suspectam,
ut sœpissimè absolutio differatur prudenter. Audi
S. Thom. à Villa-Nova Conc. 6. in Dom. 4. Ad-
ventū: *Vis cognoscere, quod propositum sit legiti-
num, & quod adulterinum? Si post statim mutas
propositum, & redis, crede tunc anima, hic quem
habes, non est tuis vir: est propositum adulteri-
num, nam non agit vitam longam cum uxore con-
scientia.*

Si ergò Confessarius advertit pœnitentem sœ-
piùs in eadem labi crimina sínè conscientiae re-
morsu, & ex mediorum præscriptorum neglectu
proponat illi

1. Amentiam illorum ægrotorum, qui obla-
tas sœpè potiones medicas, quibus certam obti-
nerent salutem, spernunt. 2. Quale propositum
censeretur habere, qui viro honorato post im-
pactam alapam, se de injuria illata dolere asse-
ceret continuè, moxque à condonatione ob-
tentia

enta alapas repeteret? Ostensâ igitur propositi imbecillitate, blandè, & suaviter pœnitentem disponat, ut patiatur paulisper absolutonem differri, donec firmioribus operum indiciis testam fecerit propositi constantiam. Nec Confessarii faciles se exhibeant, ut impendant absoluti-
nem, ad eam, quam faciunt pœnitentes pollicitatio-
nem se emendandi, occasionem proximam deserendi,
Eccl. diligens examen instituendum est, an idem
in anteactis confessionibus jam tum promiserint: SI
QUIDEM ID POLLICITI FUERINT, NEC TAMEN STETE-
RINT VERBO, NON EST, QUOD CONFESSARIUS FIDEM
HABEAT, SED ABSOLUTIONEM DIFFERAT, DONEC
ALIQUO TEMPORE NON REPENTENTES VIXERINT.
S. Franc. Sales. in Instruct. Synod. tit. 9. cap. 5.

Quid si Pœnitens ægrè ferat Absolutionem differri?

R. Proponat nervosè Confessarius similitu-
dinem ægroti, cui Medicus non potest pro præ-
senti pharmacum præscribere, nisi fortè, & pro-
babiliter causativum mortis, certus tamen, quod
brevità sit subministraturus, quo indubitatum
adipiscetur sanitatem, an æger suæ adeò erit
salutis prodigus, ut ad breve tempus exspectare
renuat? Nonne anima plus est, quam corpus?

Si tamen Pœnitens, antequam Confessarium
accederet, ita se præparâset, ut quidem vero-
similiter Confessario constaret de vera cordis
conversione, licet de ea moraliter non esset cer-
tus, & prævideret ex negatione Absolutionis
grayia obventura incommoda, V. G. vel quod

ad laxiores diverteret, vel curam salutis negligeret; judico expedire, ut conditionata impendatur Absolutio, cum hac cautione, ut in subsequenti Confessione generaliter ad minus peccata confessa, quæ fortè sunt remissa, reperteret, non tamen antè communicet.

C A S U S XXVI.

Quomodo Confessarius Pœnitentem relabentem à recidiva deterrebit?

Notandum, alios esse recidivos ex fragilitate, sed admodum culpabili, alios ex malitia: cum illis mitius agendum, cum istis severius.

R. Ut Confessarius Pœnitentem à recidiva deterreat, prudenter eum edocebit momentosas has veritates. 1. Quod, quā mensurā augent numerum peccatorum suorum, eādem augeant difficultatem salutis suæ, periculumque æternæ damnationis. 2. Quod pravi habitus majores, & majores quotidiè vires acquirant, pro majori & majori actuum multiplicatione. 3. Quod per consequens intellectus magis magisque obtenebrescat. 4. Quod voluntas magis & magis debilitetur, & corrumpatur. 5. Quod gratiarum auxilia magis magisque subtrahantur. 6. Quod validius & validius efficiatur dæmonis in peccatorem imperium, quo sit, ut peccator ut plurimum absque resistentia cedat tentationi. 7. Quod ex frequenti iteratione nascatur consuetudo, ex consuetudine (juxta Aug. in se ipso expertum) necessitas, ex necessitate dura peccati servitus, &c.

§. 29

§. 2. *De Consuetudinariis.*

P. 1. **A**N laborans consuetudine mortaliter peccandi citrā dilationem possit absolvī?

R. 1. Si Pœnitens peccati mortalis consuetudinem congruis mediis non expugnārit, priusquam ad tribunal pœnitentiæ accessit, sed merè aliquem doloris motum in se excitare conatus sit, vel uno, alterovè die perfunctoriè se præparaverit, absolvendus ordinariè non est, quamvis promittat, se conatum in posterum adhibitum ad peccatum istud evitandum. Ratio est, quòd cor totaliter à Deo aversum, & consuetudinis compede illicitis alligatum voluptatibus, non drepentè, sed sensim ad Deum converti soleat per dilectionem. Hæc pulchrè demonstrat S. Aug. scribens in Ps. 106.

R. 2. Si Pœnitens toties non ceciderit a tempore, quo contra peccandi consuetudinem luctari cœpit, nondum securitatem conversionis habitæ, sed spem acquirendæ præbet. Tunc animandus est Pœnitens, ut in opere incepto perget generosè, gratiam cœlitùs postulando, ut congruis remediis consuetudinem vincat plenè.

R. 3. Si Pœnitens peccandi consuetudinem per congrua remedia extirpare priùs sit conatus, quàm ad Confessarium accesserit, & aliquo tempore, etiam occurrentibus solitis peccandi occasionibus, sese continuerit, pariterque

324. TRACT. DE SACRAM. POENITENTIAE.

idonea conversionis adferat signa, Absolutio impendi potest. Ratio est, quia per præviam peccati fugam vinculum consuetudinis fractum, firmatumque dilectionis adminiculo emendationis propositum ostendere non incongruè supponitur. Talia interim ipsi Confessarius præscribat remedia, quæ à lapsu muniant, & residuam dictæ consuetudinis propensionem penitus extirpent.

2. An omnes consuetudinarii eodem loco habendi?

¶. Nequaquam: à vera quippe conversione (cætera sunt paria) plus aliis distant illi, qui consuetudini diuturniori, vel ad mortalia plura, vel graviora implicantur. Quò autem consuetudinarii longius à vera conversione absunt, eò plura exhibenda sunt, quibus se verè conversos probent: etenim tantò major, securiorque est in oppositum præsumptio.

His adde, quædam esse peccata, quæ ex sua natura magis adhærescunt, ut venerea, odia inveterata &c. quæ proinde, dum in consuetudinem abierunt, illos magis alligatos tenent, & obligatos.

3. Utrum, si justa sit ambigendi ratio, num Pœnitens sit consuetudinarius, Confessarius debeat hoc inquirere, quamvis confessio præsens nihil istius innuat?

¶. Aff. Cùm enim in more positum sit consuetudinariis, ut varios, ne innotescat continuus eorum relapsus, accedant Confessarios, debet

bet inquirere in statum Pœnitentis, ne, in-
cognitâ causâ, injustam ferat sententiam.

C A S U S XXVII.

*Pœnitens quidam aliquo post Absolutionem tem-
pore inter occasionum occurrentium fluctus stetit
immotus, & dilectionis probuit indicia, posteare-
missius agere, & remedia praescripta frigidè nimis
adhibere, vel negligere incipiens, peccato consensit;
quid agendum?*

R. Tunc inquirendum, quomodo negligi-
tiūs agere, & remissiūs resistere cœperit, quam-
diu constans permanerit in repellendis peccati
illecebris, ut eluceat, an pro soliditate propositi
possit judicari. Si vehementior aliqua tentatio,
vel insolita occasio ad relapsum impulerit, argu-
mentum debilitatis propositi non habetur. Sed,
quando quis à confessione leviter, & absque re-
sistentia cecidit, vel in peccati occasionem ultrò
se ingessit, non infundatam de infirmitate pro-
positi antecedentis suspicionem creat, nec re-
lapsus ille peccatis fragilitatis annumerari
potest. Ut peccatum aliquod vocetur peccatum
fragilitatis, vide fol. 61.

C A S U S XXVIII.

*Quid agendum cum consuetudinariis, si absque
mutatione vivendi prævia Absolutionem deside-
rent, ut per eam vel ad Sacramentum matrimonii,
vel ad alium statum illico suscipiendum disponantur?*

R. Res admodum perplexa est, præcipue dum
confitentur peccandi consuetudine laborantes,
ut connubio jungantur: undè vel Absolutione

negatâ connubium contrahent, aut minus: si negatione Absolutionis nihil obstante coniugium ineunt, novo se conspurcant sacrilegio, & salutem suam horrendo exponunt discrimini: si hæc incommoda pertimescentes matrimonii foedus inire procastinent, infamiae notam incurrit, & magnæ frequenter excitabuntur turbæ, animique contra Confessarium exacerbatio. Quò hîc se vertat Parochus? Non est, quòd hæreat: si enim alteruter Absolutione frustratus èd impudentiæ venerit, ut ad Sacramentum matrimonii suscipiendum indignus se ingerat, doctrina generalis de Sacramento peccatori publicè petenti administrando locum habet, quare ex confessione dumtaxat resciens illius indignitatem, & ad assistendum publicè rogatus, non potest non assistere, ne Confessionis sigillum violare videatur.

Altera difficultas superest, & illis contractum matrimonii solemniter celebrandi differentibus, quid aget?

R. Ut tanto occurratur malo, oportet, ut Parochi, & qui illorum vice suggestum concidunt, doceant frequenter populum in Concionibus, & Catechismis, quid præparationis requiratur in consuetudinario antè Absolutionem, priusquam matrimonium contrahere licet. Oportet & hoc docere, quanto sit damno Sacramentum matrimonii &c. suscipere absque præparatione condigna, cuius damni non minima pars, quòd in statu conjugii opus habent

p. 114

pluribus, iisque magnis, & peculiaribus gratiæ subsidii, quibus si ultrò se privent, non mediocre salutis subeunt periculum.

Neque hoc prætereundum: quando aliqui sese Parocho sistunt ad contrahenda sponsalia, sponsum & sponsam moneat seriò Confessionem tempestivè instituendam, & non in diem nuptiarum differendam. Integrum quoque erit Pastorè enucleatè ista incommoda proponere, quæ secutura sunt, si acciderit forsan differendam esse absolutionem, & proinde nuptias (quod sæpissimè ratione indispositionis fieri debet) quia Sacramento matrimonii suscipiendo inidonescent, &c.

CASUS XXIX.

Pœnitens peccatum aliquod mortale per consuetudinem commisit; queritur, an Absolutio differenda ordinariè, nisi vitam notabili ante Absolutionem tempore immutaverit?

Ante resolutionem Casus nota 1. Consuetudinariū Absolutione esse donandum, extrema id postulante necessitate, modò tamen dispositio, quam eâ necessitate obrutus adfert, dubie ut minimum fuerit.

2. Consuetudinarii etiam primâ vice absolvit poterunt, si nimirum illi, qui peccatorum consuetudini implicati fuerant, eo, quo fas est tempore, peccatis nuntium remiserint, eaque tum pietatis, tum pœnitentiæ exercitamenta, quæ Confessarius postulatus fuisset, suapte sponte antè suscepereint, compleverintque, quam

Confessarii tribunal subeant. Sed hæc dumtaxat
sunt *per accidens*. Ad Casum propositum

¶. Cùm Absolutionis dilatio hâc hominum
ætate non paucis, at immēritò, ingrata sit, eò
hactenus collimandum videtur, ut per Concio-
nes & Catechismos perdiscant, qui simili con-
suetudini implicantur, sui munera esse (si veræ
justificationis desiderio capiantur) insignem vi-
tae mutationem præmittere, quâ se ad Absolu-
tionem paratos & idoneos reddant: proindè
ergò Absolutionem non acceleret Confessarius,
nisi animus consuetudinis compedibus expedi-
tus, pravitatis vincula ruperit, & justitiam di-
lixerit; Deus enim illos, qui unius, plurimorum
peccati mortiferi specierum consuetudini im-
plicantur, subitò converttere non solet. Si enim
alicui pes frangatur, vel manus, cum labore solet
ad pristinum officium revocari: si vero secundo,
et tertio, et adhuc frequentius in eodem loco mem-
bra ipsa frangantur, potest intelligere caritas vestra
cum quantis doloribus vulnera ista curanda sunt,
Et tamen post longas et multas tribulationes vixe-
rit, antequam ad pristinum statum membra ipsa
valeant revocari: similis ratio in animarum fractu-
ris seu vulneribus esse credenda est. Oportet proin-
dè Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus
fallere, sed remediis salutaribus providere, im-
peritus enim est Medicus, qui tumentes vulnerum
sinus manu parcente contrectat et aperiendum
vulnus est, et sanandum.... Vociferetur, et cla-
met licet, et conqueratur aeger impatiens per do-

lorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.... Contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, accipientibus nihil profutura. S. Cyp. in libello de lapis.

CAPUT VI.

De occasionibus Peccatorum.§. 1. *Quid occasio Peccati, & Quotuplex?*

¶. 1. **A**d occasionem peccati proximam non requiritur, ut homo in ea semper, aut ferè semper peccet, neque necessè est, ut in ea constitutus sèpiùs cadat, quam non cadat. Certum est omnibus, & in confessio, quòd titulo occasionis proximæ vitari debeat consortium personæ, quâcum aliquis anno integro quotidiè ita conversatus est, ut alternis vicibus, aut ex tribus unâ mortaliter peccaverit.

Insuper nemo inficias ire potest, quin frequentatio popinæ sit occasio peccati rustico, vel alteri cuicunque, qui ibidem alternis ferè vicibus se inebriat &c.

¶. 2. *Occasio proxima peccati mortalis, quam sub gravi tenemur fugere, est illa, Quæ nos in peccatum mortale inducere nata est.* Ratio est, quia occasio delineata evidens peccati mortalis periculum involvit.

Occasio proxima hîc non sumitur pro ea, quæ peccato est vicinissima, id est, quâ vicinior dari

nequit, sed per occasionem hoc loco intellige
eam, quæ peccato tam vicina est, & ita ad illud
trahit, ut sub peccato debeat vitari. Constat ex
hac Christi sententia: *Si oculus tuus scandalizat
te, erue eum, & projice ab te.* Juxta unaninem
SS. PP. expositionem Salvator h̄ic nihil aliud in-
dicatum voluit, nisi quod res quaslibet etiam
carissimas, & utilissimas nobis peccati occa-
sionem, & periculum adferentes, deserere
teneamur.

B. 3. Alia est occasio proxima per se, alia per
accidens. Occasio proxima per se, est *Omne illud,*
*quod attentâ communi hominum fragilitate in pec-
catum inducere natum est.*

Occasio proxima per accidens est, *Quod ex
singulari genio, complexione, seu dispositione hujus
personæ ipsam ad peccatum certo, aut verisimiliter
inducet.*

Hanc divisionem, & definitionem tradit S.
Car. Borrom, p. 2. cap. 16. *Sub occasionem peccati
mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter
causam administrat, eò quod hujusmodi est, quod
vel per se in peccatum inducat, vel eâ occasione
confitens usque adeò ad peccatum allicitur, ut cer-
tè Confessarius metuere possit, quod ex perverso,
quæm induit, habitu in posterum non magis absti-
nebit, quam prius, si in iisdem occasionibus ver-
setur.*

Verum cap. seq. Vir sanctus ita pergit: *Al-
terius generis occasiones, quæ videlicet ex condi-
tione peccantium sumuntur, ea facta sunt, que
etiam si*

etiam si per se licent, tamen probabiliter timetur, ne
is, qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit,
peccata relapsurus sic, si in iisdem operibus, in
quibus antea versatus est, perseverat. Tales ob
mundi corruptelam plurimæ esse solent, in castris
esse, mercaturam sequi, magistratus obire, Advo-
catti, & Procuratoris officia exercere, aliaque id
genus, quæ, dum quis tractat, fit sèpè, ut vocibus
blasphemis, furtis, injustitiæ, calumniis, odiis, fraus-
dibus, perjuriis, & aliis ejusmodi farinæ criminibus,
quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consue-
tudinem adsciverint, ut conjecturari liceat, si in
iisdem officiis maneant, cum se rursus haec occasiones
oblaturæ sint, quod fortiorum animum ad resisten-
dum peccatis non opponent, quam hactenus fece-
rint, quodque inde sequitur, in idem lutum ex in-
tegro prolabentur.

§ 2. Expenduntur cætera hanc materiam
concernentia, & per particulares casus
dilucidantur.

CASUS XXX.

Quid agendum, ubi Pœnitens in occasione proximæ
peccati mortalis deprehenditur?

R. Eum perperam Absolvi, qui peccati mor-
talis occasionem proximam, dum potest, renuit
deserere. Ratio plana est, quia talis Pœnitens
effaci proposito cavendi mortalia destituitur,
immo ipsa voluntas permanendi in tali occasio-
ne lethale peccatum est, verumtamen Confes-
sa-

932 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIÆ.

Sarius talem Pœnitentem sive omni salutis reme-
dio imprudenter abjiceret. Ea namque ipsi pre-
scribenda sunt remedia, quibus peccati pericu-
lum imminui, & occasio proxima in remotam
immutari queat.

C A S U S XXXI.

*Quidam nobilis &c. ita occasionibus peccatorum
irretitus deprehenditur, ut occasiones proximas, putâ
liberius conversandi cum altero sexu &c. evitare
non posse sive periculo infamia, vel aliquo incom-
modo corporali confiteatur; quid agendum?*

R. Confessarius talem nobilem &c. non ab-
solvat, nisi occasiones deseruerit: dum enim duo
occurruunt mala, juxta dictamen rectæ rationis
minus est diligendum. Hinc Christus Dominus,
*Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice
ab te. Potest tamen fieri, quod Pœnitens occa-
sionem proximam peccati nec teneatur deserere,
nec possit, quod declarabit sequens*

C A S U S XXXII.

*Mulier nupta ob suam infirmitatem facilimè
irritatur leviusculis conjugis sui, & liberorum de-
fectibus, ac eapropter illis grande assuevit imprecari
malum: Potestne Confessarius suadere tali mulieri,
ut torum fugiat, maritum, liberosque deserat?*

R. Nequaquam: periculum enim esset ex
utraque parte in manifestum incontinentiæ pe-
riculum incidendi.

Similem casum approbat exemplum familiæ
ille sit in obsequio familiæ admodum honestæ,
& ex aspectu filiarum, ancillarum &c. non semel

prava

pravæ libidini consentit, vel occasione famulorum ibidem commorantium sæpè in mortiferam effervescit passionem; non semper ejusmodi cohabitationem rescindere debet: fieri enim potest, ut rescissio illa permanisce ipsa sit periculosa, si nempè ubique paria, vel majora libidinis incentiva respectu hujus personæ nata sint occurrere: absolvendi tamen non sunt similes, nisi postquam adversus circumstantias ad peccatum inducentes satis fuerint confirmati.

C A S U S XXXIII.

Confessarius deprehendit Pœnitentes aliquos in proxima peccati mortalis occasione constitutos, promittunt se eam mox abscissuros. Quaritur, an dictis eorum mox possit acquiescere, & Absolutionem impendere?

R. Nequaquam: Sed diligens examen instituendum est, an idem in antea actis confessionibus promiserint: si quidem polliciti fuerint, nec tamen steterint verbo, non est, quod Confessarius fidem adhibeat, sed Absolutionem differat, donec sint ab occasione sejuncti, & quidem donec aliquo tempore eam non repetentes vixerint. Ita S. Eranc. Sales. in Constit. & Instruct. Synodalibus tit. 9. cap. 5. Ratio plana est, quia Confessarius meritò potest ambigere, an voluntas occasionem deserendi sit seria, & efficax ob fidem toties ruptam, & tam sanctè datam. Eadem ratione, qui in confessionibus præcedentibus addixit, se famam injustè lœsam reparaturum, aut rem alienam redditum, non nisi peractâ restitutione, absolvends est.

Im.

Immò, quāmvis Pœnitens promissum num-
quam violaverit, ubi tales sunt circumstantiæ, ex
quibus Confessario metus suboritur, ne restitu-
tio postea omittatur, V. G. quia Pœnitentem
pecuniis nimis addictum deprehendit, vel suæ
æstimationis tenaciorem, quām verbum detra-
ctorium facile revocet, restitutio famæ, &
pecuniæ absolutioni præmittatur. Cæterum
subindè necessarium non est, ut restitutio prævie-
fiat. Casus in promptu est.

*Vir timens Deum ex Confessario, se obligations
restitutio gravatum, intelligens illicè se promptum
exhibet, ut rem alienam restituat, neque aliquid
advenit, quod timorem ingerat, ne ab executione
propositi postea retrahatur, non video, cur statim
Absolutio ipsi impendi nequeat, modò cæteri
adsint.*

Similiter Pœnitens in proxima occasione possum
deprehenditur, & numquam ad eam deserendam
monitus fuit, jamque periculum suum, & obligatio-
nem cernens, se mox eam relictum proponit, ad
spendet; aliquando etiam ante occasionis resci-
fionem absolvī posse videtur, modò adsint pro-
positi efficacis indicia, Explorandum interim,
utrum in ejusmodi occasione frequenter cecide-
rit, ita ut quædam affectio, seu propensio nata
sit, quia ex hac, similive causa, absolutionem
differendam esse, satis constat.

C A S U S XXXIV.

*Mercator mercaturam non solet agere sine u-
ris, mercium fraudibus, mendaciis &c. opifex
festus,*

festis, & què ac profanis diebus occupatur, nec se
solum ad similem modum, verùm etiam totam fa-
miliam habet distentam. *Quid agendum?*

R. Omnes, qui sunt hujusmodi, vel negotium ipsis
periculoso deponant, vel saltem absque licentia,
obedientia p̄it, atque probati Sacerdotis non exer-
scant: qui quidem hominem eo modo constitutum
absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata
rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseve-
rat, sed & quum est, ut vita emendatio, & quadam
illius approbatio per temporis intervallum exspe-
ctetur. S. Car. Bor. p. 2. cap. 17.

C A S U S XXXV.

Pœnitens confiteretur, quòd quotidie choreis in-
tersit periculosis, tabernas frequenter, in quibus
alii ad ebrietatem, alii ad lusum vetitum indu-
cuntur, ipse tamen, ut ait, in hujusmodi occasio-
nibus aut raro, aut numquam deliquit; quaritur
an possit Confessarius prudenter permittere, ut
pergat iis interesse?

R. Neg. Fortè h̄c mentitur iniquitas sibi: non
enim capio, quid velint SS. PP. passim clamantes,
periculosa esse prælia castitatis, frequentiorem
ibidem esse pugnam, & ratiorem victoriam.
Etate proiecti, & pietate maturi, opum, &
honorum contemptores h̄c cespitant, & sub-
inde labuntur, qui homines pleni vanitate, sui,
mundique amantes in ipso ætatis æstu, cum per-
sonis alterius sexus ad lasciviæ irritamentum
veste, voce, gestu, & blandiloquentiâ com-
positis familiariter conversantes, corridentes,

336 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIÆ.

nugantes, choreas ducentes, vel alias vanitatis, & fortè fœditates videntes, ab omni periculo sint remoti, vix video.

Finge nihilominus, Pœnitentem rarius, aut numquam lapsum, nec hoc casu permittenda ipsi conversatio: 1. Quia, quamvis gratiâ Dei hactenus steterit, ubi alii ceciderunt, timere meritò potest, ne & ipse tandem corruat. 2. Quia, alios ad easdem occasiones, in quibus forsitan peccabunt, allicit, vel, ut in illis permaneant, confirmat. 3. Quia, Pœnitens fortè aliis est occasio, vel objectum peccati, ut dictum est fol. 59.

C A S U S XXXVI.

Pœnitens intendit contrahere matrimonium cum persona, quâ usque ad illud tempus fuit abusus; queritur, an capax sit Absolutionis, si non nisi comminem, & facilem adhibuerit præparationem?

R. Licet occasio peccati in posterum committendi per matrimonium auferenda sit, raro tamen talis esset illicè absolvendus, si non nisi perfunctoriè, se præparaverit, quia seria peccati commissi detestatio ex dilectione Dei proveniens in hoc casu moraliter certis non elucet indicis, imò varia sunt, quæ Confessario prudens dubium ingerere queunt: etenim animus ejusmodi fôrdibus immersus, non facilè, citòque ab illis averti, & ad Deum converti per amorem solet. Casus moralis necessitatis, qui hîc occurrere possunt, modò non attingo.

C A S U S XXXVII.

Quid agendum Confessario, quando dubitat, an

V.G.

V.G. sponsa ad Absolutionem sic disposita, si omnia
jam ad nuptras parata sint, & matrimonium sine
eius infamia, populique scandalo differri nequeat?

R. Quod hic ratio sufficiens adesse videatur
Absolutionem conditionatè impendendi, modò
valdè probabile sit, ipsam esse verè conversam.
Hæc tamen cautio adhibenda est, ut ipsa, quam-
vis sic absoluta, non communicet, nè pericu-
lum sacrilegii incurrat, utque postea confessio-
nem illam, utpote verisimiliter effectu vacuam,
rejiceret.

Quemadmodum Confessarius in similibus ca-
sibus tantum sub conditione Absolutionem elar-
giri potest, ita par est, ut Pœnitentes tantum
conditionatè, si nempe bene sint dispositi, Sa-
cramentum suscipere velint.

Cæterum Pastores monere tenentur sponsos,
ut non statuant diem matrimonii contrahendi,
nisi se consulto. Proponant insuper, quod subin-
dè impedimenta quædam Sacramentorum oc-
currere possint, & potissimum matrimonii, ob
quæ omnino conveniens esset, ut priùs con-
fiteantur, quam tempus matrimonii ineundi
figant.

C A S U S XXXVIII.

Sponsus, & Spensa inter se habuerunt commer-
cium carnale, quod Sponsus ipsa diâ, quâ contractu-
rus est matrimonium, ultrò confiteatur: absolutâ
confessione, succedit sponsa: certum est, quod alte-
rum Confessarium non accesserit, in Confessione ta-
men de copula, cum sponso habita, se non accusat,

Y

cuiusq;

338 TRACT. DE SACRAM. POENITENTIAE.

*cujus tamen recentem satis supponitur habere mē
moriā: quid agendum?*

R. Quidam censem, eam de aliis quibusdam peccatis examinandam, & tandem inter illa, an impudicē attigerit suum sponsum, aut similia in se commiserit? Ut sic à longè circa peccatum copulæ scrutinium instituatur. Nec indē putant sequi, quod Confessarius utatur scientiā ex Confessione habitā; sed tantūm tunc illa scientia memoriam ipsi refriçat, quā scit se posse & debere facere illam interrogationem.

Alii censem, sponsum post Absolutionem esse rogandum, ut extra Confessionem declaret, sub promisso tamen illā scientiā non utendi, nisi, quatenus saluti sponsæ expedit.

Sunt, qui consulunt, ut animarum director, quām primū ad Confessiones excipiendas fuerit admissus, penes se generatim statuat examinare, si qui fortè ad se veniant ejusmodi, idque sive aliundē aliquid sciat, sive non, cū sibi constet similia peccata inter sponsos quandoque committi.

*Sed quid, si sponsa nullā ratione induci queat, ut
erimen confiteatur, quid aget Confessarius? Si
sponsam sīnē Absolutione dimittat, scientiā ex Con-
fessione sponsi haustā, cum gravamine sponsæ utitur,
si Absolutionem ei impendat, videtur Sacramen-
tum exponendum periculo nullitatis?*

R. Non displicet mihi opinio, quæ arbitra-
tur, Absolutionem sub conditione impertien-
dam: sic enim reverentiæ Sacramenti consuluntur,
& usus

& usus scientiæ ex Confessione acceptæ, cum
gravamine sponsæ neutiquam adhibetur.

⁸ Casum hanc materiam directe concernentem
de famulo, vide supra fol. 62.

APPENDIX

De Remediis præscribendis tum generalibus, tum particularibus Pœnitenti, tempore dilatæ Absolutionis.

§. I. Præscribuntur generalia.

Ordinarius differendæ Absolutionis finis est, ut confitens interea à peccatis abstinere discat, & ad veram conversionem disponatur; ea proinde isti præscribenda sunt, quibus in ejusmodi persona utrumque opportunè procuretur. Inter hæc quædam sunt generalia, quæ ad vitanda quævis peccatorum genera, & ad conversionem à quibuslibet peccatis valent. Quædam specialia, quæ ad vitanda certa peccata valent, V.G. libidinem, iram, intemperantiam &c.

Ad conversionem à quibuslibet peccatis juvare
frequenter æternitatis ac novissimorum recor-
dari, certis temporibus pro gratia conversionis
orare, præcipue mentaliter, eleemosynas cor-
porales, si Pœnitens sit in statu, aliaque opera
misericordiæ præstare, ut Deus gratiam veræ
conversionis misericorditer donet; coram Deo
sæpiissimè agnoscere humiliter, quod homo suis
viribus semetipsum convertere non possit, &

ideò illi, qui rebelles nostras ad se potest compellere voluntates, indesinenter supplicate, ut ab ipso convertatur.

Præterea, sicuti specialium virtutum exercitia, & speciales Pœnitentiæ, ac mortificationes specialiter valent ad conversionem à vitiis contrariis, ita quarumlibet ferè virtutum exercitia, & quælibet ferè Pœnitentiæ, ac mortificationes valent generatim ad conversionem à quibuslibet peccatis.

Quæ ad conversionem à peccatis deserviunt; etiam solent deservire ad vitanda peccata, ad quæ vitanda insuper necessarium, ut confitens jubeatur externas peccatorum occasiones fugere, internas contrariis actibus impugnare, & officiis suis tam generalibus hominis Christiani, quam specialibus statu, &c. sedulò incumbe.

§. 2. *Specialia præscribenda Libidinosis.*

PRæter generalia hactenus expressa (quibus adde humiliter etiam aliorum preces pro sua conversione implorare) dantur specialia, quæ radici, occasionibus, & mediis specialium virtutum opponuntur contrariè, vel contradictoriè.

1. Radici libidinis, id est concupiscentiæ carnis spectanti ad tactum, opponuntur contrariè, quæ corpus cruciant in tactu; contradictrio cessatio ab iis, quæ causant delectationem tactus, quæ proinde, servatâ debitâ proportione, injungi poterunt, vel, si aliunde superveniant, ut morbi, paupertas, officii, opificii, aut statu mo-

le,

lestiæ, injungi poterunt, ut in salutis remedium acceptentur.

2. Præscribendum erit, ut occasiones, & media ad libidinem (qualia esse possunt, cum personis quibusdam alterius sexus habitare, conversari, oculos in eas defigere, de illis frequentius cogitare, obscenæ statuas, ac imagines contemplati, libros impudicos, amatorios, de mulierum qualitatibus, ac affectibus tractantes, legere, otiari, diutius, quam justa necessitas exigit, lecto inhærente) præscribendum inquam erit, ut tempore dilatæ Absolutionis non solùm ab ipsis cesseret, verum, ut, servatis servandis, Pœnitens interea adhibeat ea, quæ similibus occasionibus & mediis contrariantur: V. G. ut pro conversatione cum impudicis ejusdem sexus, sit conversatio cum hominibus pietati & castitati deditis; ut pro frequentatione loci minùs honesti & casti, sit frequentatio templorum, &c. & maximè injungenda sobrietas in cibo & potu, & abstinentia à certis cibis & potibus libidinem magis irritantibus: specialiter quoque injungenda, quæ acediae opponuntur: nam ut plerisque libidinem causat intemperantia, ita non paucis aedia.

§. 3. *Præscribenda adversus Iram, proximi Odium, &c.*

Iræ & odio directissimè contrariatur benefacere (maximè in eadem materia) eidem illi personæ, adversus quam habiti fuerunt dicti

Y 3 af-

affectus mali. Hoc proinde, ut tempore dilatè
Absolutionis fiat, injungendum

1. Vel, si non possit in eadem materia, bo-
num erga illam personam operetur in aliis ma-
teriis: item, si non possit erga eamdem perso-
nam, agat erga conjunctas, vel, si non possit
erga præsentem, operetur bona erga absen-
tem, vel potius, ut omnia illi præstet, si
potest. Et hæc quidem secundum oppositionem
contrariam, sub quibus comprehendo etiam
petitionem veniæ, & alias similes offensæ re-
parationes.

2. Præscribenda, quæ diminuunt, aut tollunt
dictorum affectuum radicem, quæ in quibusdam
est avaritia, in aliis superbia, in nonnullis re-
rum parvarum nimia æstimatio, aut amor com-
moditatis: quibus omnibus per contrariantia
media occurendum, prout etiam externis dicto-
rum affectuum occasionibus, ut sunt conversari
cum iracundis, cum litigiosis, cum habentibus
modum agendi irritantem, vel cum aliis per-
sonis, quæ gloriam in vindicta constituunt: &
pati ratione cavenda lectorio librorum, & specta-
cula Comœdiarum, quibus ejusmodi affectus
lectoribus aut spectatoribus imprimuntur.

3. Non credo, utiliter suaderi semper, ut
conversatio cum persona, à qua quispiam of-
fensus fuerit, deseratur: contingit saepius, ut
hoc modo ira & odium non tollantur, inò
verò foyeantur.

§. 4. *Præscribenda Detractoribus, & Calumniatoribus.*

1. **P**ræter generalia, quæ tempore dilatæ Absolutionis quibuslibet sunt utilia, illis, qui aliis falso imposuerunt, injungendum, ut imposturam retractent, eo scilicet modo, quo & publico (si indè nocumentum acceperit) & huic personæ speciali restituant, quidquid per imposturam ablatum est. Hinc impostura facta apud paucos sèpè insufficienter retractatur apud illos solos, apud quos immediatè facta est; & quæ propagata est per libellos, insufficienter retractatur vivâ voce.

2. Pro hac restitutione debet Confessarius sèpè magis esse sollicitus, quam pro restitutione summæ notabilis furto ablatæ, cum illa ob nocumenti magnitudinem sèpè sit magis arcta, & ob propagationis periculum sit ordinariè magis festina.

3. Inquirendum, quæ fuerint imposturæ istius radices, sive originales affectus, ut, illis deprehensis, injungantur remedia, quibus fiat, ut ab ipsis affectibus cesseretur, & ut pro illis contrarii affectus induantur.

§. 5. *Præscribenda intemperantibus.*

1. **I**ntemperantibus injungi potest, ut caveant immoderationem cibi, & potūs, item ut paullatim, & pedetentim addiscant etiam abstinere ab his infra moderationem, ut quibusdam

speciebus cibi, aut potūs, quæ magis extiterunt in temperantiae materia, aut in quas major propensio, vicibus aliquot, aut tempore definiendo, vel omnino non utantur, vel minus utantur. Et hæc quidem veluti, non modò ad satisfactionem, sed etiam ad curationem, & præservationem conducunt, magis tamen juvant, quæ opponuntur contrariè, putè quæ gustum non tam delicate afficiunt, in quibus tamen cavendum absolutè, ne sanitatem laedant, aut alias non congruant.

2. Præscribenda etiam, quæ dictarum intemperantiarum occasionibus opponuntur. Occasiones esse possunt convivia, certa loca, V. G. frequentare popinas, conversari cum intemperantibus, extra tempus refectionum cibum, vel potum sumere in quantitate, otio, melancoliâ, acediâ, aut tetricis curis animum gravare.

3. Utì his contradictroriè opponitur illorum omissio, ita contrariè, pro conviviis, personis intemperantibus, officia Divina, personas pietati, ac specialiter sobrietati deditas frequentare: otio autem, & commissationibus contraria sunt, eorum tempora statūs, & officii functionibus, ac quibusvis pietatis exercitiis impendere, & specialiter intemperantiae mala, bonis temperantiae, & tempus æternitati comparare, ac hominis novissima sedulò expendere, melancholiæ, acediæ, & tetricis animi curis, studium orationis, bonæ conscientiæ, & promptissimæ submissionis erga Divinam providentiam opponendum est.

TRA.

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS EX-
TREMÆ UNCTIONIS
ET ORDINIS.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramento extremæ Unctionis.

1. **E**xtrémam Unctionem esse Sacramentum, probatur ex Epistola B. Jacobi, & universalis Ecclesiæ traditione, locum Jacobi interpretante pro vero Sacramento.

2. Quoniam in Palæstina, inquit Wiclef, præstans erat oleum, & cum primis utile sanandis corporibus, quibus adhibitum esset, idcirco de recreando ægrotō verba faciens Apostolus unctionem olei præscribit. Sed explicationem illam excludit non solum traditio, verum & ipse textus, quatenus hic specialiter exigit Ecclesiæ Presbyteros, non autem Medicos corporales, nec tamen hi omnibus morbis idem medicamentum præscribent. Quibus adde, S. Jacobum non ad solos Palæstinæ, sed ad duodecim Tribus in dispersione positas scripsisse.

3. Definiri potest: *Sacramentum Unctionis infirmorum ad salutem animi, & corporis, factæ per Sacerdotem.*

4. Materia ejus est *Oleum olivarum ab Episcopo benedictum*. Trid. sess. 14. cap. 1. Forma autem: *Per istam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti &c.*

5. Quamvis Minister ordinarius benedictionis hujus olei sit Episcopus, ut patet ex Trid. sess. 14. cap. 1. & Flor. in decreto unionis, simplex tamen Sacerdos ex commissione Episcopi vices supplere potest. Ita fieri solet apud Graecos, quorum praxis ab Ecclesia Latina approbata est sub Clemente VIII. in Constit. 34. cui titulus: *Instructio super aliquibus ritibus Gracorum &c.*

6. Unctio debet fieri in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in ore propter gustum, & locutionem, in manibus propter tactum, in naribus propter odoratum, in pedibus propter gressum, & in renibus propter delectationem. Verum unctio in renibus decentius omittitur in feminis, sicut etiamnum in viris.

7. Quinque tamen unctiones ad essentiam Sacramenti non sunt necessariæ, sed unica sufficere potest, & hoc fieri potest in unctione infirmi contagiosa peste scilicet, aut alio simili morbo laborantis, & in tali casu ungi debet organum ad unctionem magis expositum dicendo: *Per istam unctionem.... indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, tactum &c. deliquisti.* Ita censuit sacra Facultas Lovan. anno 1588. approbans de hac re statutum Pastoralis Mechliniensis.

8. Subjectum hujus Sacramenti est, homo

periculose infirmus, dicente Trid. sess. 14. cap. 3. *Hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cuius morte umetur, dari debet: Neque potest iterari, quamdiu manet eadem infirmitas, & periculum mortis. Alias, si infirmus convalescat, & in periculum mortis relabatur, poterit iterari, ut habetur in Trid. sess. 14. cap. 3.*

9. Effectus hujus Sacramenti sunt in primis, caritas, putà sub officio, quo caritas est patiens, pœnitens, & obediens, non oportet fieri ab homine sano, sed ut requiritur in susceptione morborum, ac mortis, id est, ut suscipiantur eo affectu, quo fuit Christus patiens, pœnitens, & obediens in sua agonia, & morte.

Alius effectus est, remissio peccatorum, quæ videtur extendenda per accidens etiam ad mortalia, si quæ adhuc supersint.

Tertius effectus est, abstergere famosa animæ vulnera, quæ à peccato originali sunt introducta, & ab actualibus aucta. His anumera torporem ad res Divinas, anxietatem &c. quæ postrema à morbis & judicio instanti incrementum accipiunt.

Quartus est, sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, conferre.

C A S U S.

Parochus quidam rogatur, ut moribundo poste, similiè contagioso morbo infecto, ministret Sacramentum extremæ Unctionis; tenetur necum evidenti mortis periculo illud administrare?

Res. Aff. Siquidem *Amor Christi in eo, qui pascit*

pascit oves ejus, in tam magnum debet spirituali-
m crescere ardorem, ut vincat etiam naturalem mor-
is timorem. Inquit S. Aug. tract. 126. in Joan.
tractans casum non absimilem.

*Sed quid si reliqua pars Parochianorum carebit
Pastore, si nempè Parochus contrahat pestem, &
moriatur?*

R³. Si majora supponas exoriri incommoda,
morte Pastoris, quam contrà, sic videlicet, ut
pars reliqua fidelium necessariis sit privanda
ministeriis, & Sacramentis, non tenetur
propter unum particularem tanto se exponere
periculo.

C A P U T II.

De Ordine.

STatus Ecclesiæ inter naturæ, & gloriæ statum
medius est: nam quod ad statum gloriæ attinet,
novem in eo reperiuntur Angelorum chori, sive
ordines: quorum primo correspondet Episco-
patus, secundo Presbyteratus, & ita de reliquis, si
nono Angelorum ordini accommodes Clerica-
rum: & hæc prima est in his analogia.

Secunda est, quod in utrisque officium Super-
riorum sit illuminare inferiores, quidni & exem-
pli accendere? Plus ergo scientiæ, & caritatis
requiritur in Episcopis, quam in Presbyteris,
plus in Presbyteris, quam in inferioribus
ministris.


Ter-

Tertia, utriusque, id est, tam Angeli, quam ministri Ecclesiæ sunt ministriores spirituales, & quodammodo ministratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Nullus ergo ordinandus est, nisi ejus ordinatio existimetur utilis Ecclesiæ futura.

Quarta, quæmadmodum Angeli inter suas erga nos functiones semper intuentur faciem Patris, ita oportet, ut etiam faciant Ecclesiæ ministri. Debent ergo hi semper esse in spiritu orationis, & caritatis officiis.

Quinta, Angeli suâ sponte non intrudunt semetipsos in ministerium hominum, sed à Deo mittuntur; longè minus licet hominibus se intrudere in ministeria Ecclesiæ. Nullus proinde sine legitima vocatione licet tendit ad Ordines, aut ex inferioribus ad Superioribus ascendit, quæ vocatio etiam requiritur ad Clericatum.

Hæc generaliter dicta sint de Sacramento Ordinis: reliqua de materia, & forma, de dispositione ad Ordines S. suscipiendos requisita, vide apud Authores, cùm ad institutum nostrum non pertineant.



TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM.

De Sponsalibus.

§. I. *De Sponsalibus, eorum effectibus &c.*

EX laudabili Ecclesiæ consuetudine, & lege Canonum sponsalia matrimonio præmituntur, non ut matrimonium sit ratum, sed ut sit sanctum, ut scilicet interea fieri possit exactior disquisitio, an ab utraque parte non sit aliquid impedimentum, an personæ sint legitimæ, & liberæ, quæ contrahere volunt; deinde nō temerè, ac repente accedant, & ineant talem societatem per vitam alterutrius duraturam.

Sponsalia sunt, futuri matrimonii mutua promissio cum consensu per verba, aut signa aequivalenzia expresso, ut nummi fractione &c.

Effectus sponsaliorum est obligatio mutua & diremptio matrimonii in primo gradu. Hæc autem obligatio est sub mortali, quia est in materia absolute gravi.

Ex dictis constat, ad sponsalia non sufficere merum propositum ab utraque parte manife-

sta-

statum, debet enim esse promissio reciprocæ obligationis.

P. 1. Quem effectum habent sponsalia contracta inter consanguineos, & affines sub hac conditio-
nione: *Contra hō tecum, si Pontifex dispensabit?*

P. 1. Si Pontifex soleat dispensare in tali gradu, certum est, valere sponsalia, quia conditio est honesta, & possibilis: si autem Pontifex non soleat dispensare in tali gradu, non valent sponsalia, saltē in foro externo, quia conditiones extraordinariæ non solent simili-
bus comprehendendi, neque in isto foro cen-
sentur possibles.

Non video tamen, quare valere non pos-
sunt in foro conscientiæ, si Pontifex possit
dispensare, & promittentes se seriò obliga-
verint sub conditione posita.

2. Assigna casus, in quibus sponsalia validè
contracta dissolvuntur?

P. 1. Mutuo consensu, etiamsi fuerint jura-
mento firmata, quia juramentum sequitur
naturam contractū, & est solūm confirmatio
oneris in contractu impositi, unde, si cesseret
onus ejusmodi, cessat etiam obligatio jura-
menti. 2. Si superveniat notabilis in compare
mutatio, ratione cuius habeatur justa causa
resiliendi à promissione, quia id etiam locum
habet in aliis promissionibus. Advertendum
tamen, quod in utraque parte non cesseret obli-
gatio; sed tantūm in illa, quæ est innocens,
unde si sponsa post sponsalia fiat infamis,
obli-

S
O
M.
s &c.
& lege
æmit-
i, sed
t exa-
t ali-
timæ,
de ne
talem
n.
pro-
alen-
ua &
utem
teria
cicer
nife-
sta-

352 TRACTATUS DE SACRAM. MATRIMONIIS.

obligabitur adhuc Titio, non reciprocè Titius
Caix. Ex dictis sequitur

1. Si post inita sponsalia deprehendatur, quod
sponsa non valeat præstare dotem promissam,
vel quia fecellit, vel subito est depauperata,
potest sponsus à contractu sponsaliorum
resilire.

2. Si sponsa putabatur virgo, & non sit, vel
quia antea fornicata est, vel etiam, quia postea
violentè oppressa est.

3. Si incidat in lepram, morbum caducum, vel
etiam in notabilem deformitatem, aut corporis
mutilationem &c.

Possunt etiam sponsalia aliis modis dirimi,
1. Per ingressum Religionis. 2. Per suscep-
tionem Ordinis sacri. 3. Si inita sint cum errore
personæ; item, si supervenerit cognatio, vel
affinitas, ut V. G. si sponsus fornicetur cum
sorore sponsæ, vel si unus levet de Fonte pro-
blem alterius.

Idem dic, si cognatio, vel affinitas sit ante-
cedens, & non sit apposita conditio: *Si Pontifex*
dispensaverit; si autem sit apposita, & Pontifex
soleat in ejusmodi impedimentis dispensare,
manet obligatio sponsaliorum: si autem non
soleat ita dispensare, censent communiter,
conditionem esse impossibilem.

§. 2. *Nonnulla resolvuntur.*

1. **A**N sponsi possint à Judice compelli ad ma-
trimonium?

¶. Aff. Saltem si sint sponsalia juramento firmata. Casus ille proponitur Alex. III. Cap. *Ex literis Silvani, de Sponsalibus, &c.* qui respondet, sponsum, tenuentem exequi sponsalia juramento firmata, esse ab Episcopo admonendum; deinde si monitis non acquieverit, Ecclesiastica censurâ compellendum, nisi rationabilis causa obstruerit.

Non debet tamen Judex Ecclesiasticus facile devenire ad censuras, quia coactiones ejusmodi habent crebrò tristes eventus, maximè si sponsus tenuens contrahere multum abhorreat ab altera comparte, & periculum sit, ne vel fictè consentiat in matrimonium, vel si sufficienter consentiat, versentur in perpetuo statu damnationis, V. G. propter rixas, odia, denegationem debiti &c. quam ob causam plerique suadent, ut judex sponte removeat censuram, si, postquam inflxit, advertat nil prodesse.

2. An possint contrahi sponsalia conditionatè?

¶. Aff. Quia id commune est aliis promissiōnibus; pendente tamen, & nondum impletâ conditione non sunt in rigore sponsalia, quia tunc nondum obligantur sponsi ad ineundum matrimonium, sed tantum obligabuntur, quando implebitur conditio.

Cæterum, quamdiu pendet conditio, non est integrum sponsis à sua promissione resilire, sed obligantur ad exspectandum eventum conditionis appositæ, quâ impletâ, contractus conditionalis transit in absolutum, & absolutam patit obligationem.

3. Utrum sponsalia per copulam subsequenter transiant in matrimonium?

R. Ante Trid. transiisse, quando copula subsequebatur utriusque consensu, ut habetur Cap. *Huius qui fidem*, de Sponsalibus, & hoc ideo, quia non presumebantur sponsus & sponsa convenisse affectu fornicario, sed animo adimplendi promissionem sponsalitiam, & affectu maritali: post Trid. autem non transiunt in matrimonium, quia non solent adesse omnia requisita, dum exercetur copula ad valorem matrimonii, V. G. Parochus, & testes.

4. An matrimonium bonâ fide contractum, & propter defectum essentiali invalidum, V. G. ob absentiam Parochi, aut testium, obtineat vim sponsaliorum?

R. Nec obtinere illam vim jure naturæ, nec Ecclesiastico. Non jure naturæ, quia donatio facta contra Legem irritantem, non habet vim promissionis. Non jure Ecclesiastico; quia Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. absolutè irritat contractum matrimonialem eo modo initum, & inhabiles reddit similes personas ad contrahendum, & consequenter ad promittendum id, quod seclusâ dispensatione, præstare non possunt.

5. Quâ aetate possunt contrahi sponsalia?

R. Jure naturæ non requiri certam aetatem, sed sufficere usum rationis, vi cuius haberi possit consensus liber. Jure autem Ecclesiastico requiritur septennium, ut constat ex Cap. *Liberatio*

ius. & Cap. Accessit. & Desponsat. impub. ubi
exigitur septimus annus etiam completus.

6. An valeant sponsalia ante annum septi-
mum contracta, dummodo habeatur usus ra-
tionis, & malitia suppleat ætatem?

R. Jure Ecclesiastico esse invalida, ut patet
ex Cap. mox citatis, ubi generaliter declarat
Alex. III. sponsalia ante septennium contracta
esse nulla, neque sit exceptio casus, in quo ma-
litia suppleat ætatem.

7. Quid si infantes ad invicem, vel unus ma-
jor septennio, & alter minor sponsalia contraxe-
rint, vel parentes ipsorum pro iis?

R. Hunc casum proponi Cap. Unico. de De-
sponsat. impuberum in sexto, ac ita resolvi: *Nisi*
per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo,
vel facto ipsorum liquidè appareat, eosdem in eadem
voluntate, factos septennio maiores, durare, spon-
salia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per
lapsum dicti temporis minimè convalescunt: E ideo,
cum sint nulla ratione defectus consensus, justitiam
publicæ honestatis non inducunt.

Quid sit justitia publicæ honestatis, dicetur
infra.

8. An parentes, vel tutores possint contrahere
sponsalia loco filiorum, qui septennium non-
dum attigerunt?

R. Aff. Ut constat ex Cap. Unico de Despon-
sat. impuberum in sexto. Non obligantur tamen
filii, nisi accedente ætate liberè consentiant, ut
habetur ibidem §. ult. nec ante eorum consen-

356 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONIIS
sum, sunt propriè dicta sponsalia, ideoque nul-
lum inducunt impedimentum justitiae publicæ
honestatis.

9. An probanda sit communis praxis, juxta
quam sponsi eodem die, vel pridiè, quo con-
tracturi sunt matrimonium, Sacramentaliter
confiteantur, &c. communicent?

R. Hanc praxim regulariter esse improban-
dum, sponsalia enim præmittuntur matrimonio,
ut sanctius sponsi se ad illud suscipiendum dispo-
niant: neque enim in quibusvis peccatoribus hæc
dispositio obtinetur unius diei spatio. Quo-
modo Confessarius debeat procedere cum iis,
qui indispositi accurrunt ad confessionem, eo
die celebraturi matrimonium, vide fol. 278.

§. 3. Ex dictis resolvuntur Casus practici.

C A S U S I.

Joannes vult se obligare, dicitque Barbaræ: Pro-
mitto tibi matrimonium; Barbara autem dicit,
se necdum velle respondere, sed tamen ipsum
habere obligatum; queritur, an Joannes, non ob-
stante, quod Barbara nolit respondere, promittendo
se obliget?

R. Promissionem illam esse validam, et si non
sit sponsalitia, quia nihil ipsi deest ad rationem
promissionis propriè dictæ.

C A S U S II.

Paulus in consilio plurium puellarum dicit:
Promitto me unam ex vobis ducendum in uxorem;

illa

ile autem repromittunt vicissim; queritur, an Paulus contraxerit sponsalia?

R. Neg. Nec oritur ex ea promissione impedimentum publicæ honestatis. Ratio est, quia non est contractus inter personas determinatas, quod requiritur ad valorem sponsaliorum.

Dato igitur, quod illæ puellæ nubiles fuerint consorores, poterit Paulus validè contrahere matrimonium cum matre vidua ipsarum.

CASUS III.

Jacobus contrahit sponsalia cum Isabella, sed hæc mutuo consensu dissolvuntur. Postea contrahit matrimonium cum Maria sorore Isabellæ; queritur, an matrimonium fuerit validum?

R. Neg. Ratio enim, quare Ecclesia induxit hoc impedimentum publicæ honestatis, adhuc subsistit, licet priora sponsalia fuerint soluta, quia indecens est inire matrimonium cum illa, cuius consanguineæ te aliquando despontasti.

Resolutio locum obtinet, si *Jacobus post contracta sponsalia cum Isabella, ingrediatur & profiteatur in Religione approbata, & Isabella jam a sponsalibus libera, contrahat matrimonium, illudque consummet cum fratre Jacobi, ex quo prole suscipit: propter eamdem rationem, & matrimonium est nullum, & proles est illegitima.*

CASUS IV.

Petrus promittit matrimonium Anna heretica, postmodum cognoscit Barbaram Catholicam, sororem Annæ. Queritur 1. cum utra ex duabus debuerit contrahere? 2. Quid si contigerit Annam mori?

558 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

R. Ad 1. Quid cūm neutra potuerit matrimonium contrahere: non cūm Barbara; quia obstat impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validis, ut supponitur, dirimens matrimonium in primo gradu: non etiam cūm Anna; quia obstat impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens.

R. 2. Ne quidem, Annā mortuā, potuit inīi matrimonium inter Petrum & Barbaram: quia impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus permanet post mortem, sicut etiam impedimentum affinitatis.

C A S U S V.

Cajus fornicatus cum Titia, postea desponsavit Abi sororem ejus Annam. Quæritur, utram posset in uxorem ducere?

R. Quid Paulus Layman videatur sentire, Cajum neutrā potuisse in uxorem ducere: sed meo iudicio, minus recte; cūm manifestum sit, ut ex sequentibus patebit, Cajum posse Titiam in uxorem ducere.

C A S U S VI.

Antonius sponsalia contraxit cūm Catharinā, quam postea duxit uxorem Philippus frater Antonii, sed matrimonium non consummavit. Quis situm fuit, possitne Antonius Catharinam in uxorem ducere?

R. Aff. Layman. Opinio tamen negativa mihi videtur certior ob arctius matrimonii vinculum. Ita Bonacina in Tract. de Matrimonio q. 3^o punto 11. num. 20.

CA-

C A S U S VII.

Cornelius contrahit sponsalia cum Lucia, postea contrahit alia sponsalia cum Susanna, eaque iuramento non tantum confirmat, sed etiam commercio carnali approbat: Queritur, an priora, an posteriora fuerint valida?

R. Quod mihi arrideat sententia Estii in 4. dist. 27. dicentis, priora sponsalia in suo vigore mansisse. Rationem adfert Ostiensis de Sponsalibus num. 11. fol. 194. scilicet quod juramentum non sit vinculum iniquitatis.

C A S U S VIII.

Magdalena post contracta sponsalia legitime cum Andrea, per vim ab uno tertio opprimitur; quod intelligens Andreas, vult resilire a sponsalibus. Verum Magdalena quoque monita, Andream ante sponsalia fornicatum fuisse, pretendit, involuntarium corporis vitium compensari per praecedens Andree delictum. Duo in questione ventilantur. Primum, an violenta Magdalena oppressio sponso def causam sufficientem resilendi a sponsalibus? Secundum, an, dato, quod sit causa sufficiens resilendi, exceptio Magdalena adversus Andream sic admittenda?

R. Ad 1. Violenta illa oppressio sufficiens causa est Andreæ resilendi.

R. Ad 2. Exceptio Magdalena videtur rationi & exequitati valde conformis.

C A S U S IX.

Philippus contractis sponsalibus cum Joanna, cum ipsa habito carnis commercio, illam a Patre

360 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

promissorum, sed non stupri conscio, sàpè sàpius in uxorem postulat. Renuit pater, & filiae per minas suadet, ut promissa relaxet: quo facto, Philippus jurata sponsalia contrahit cum alia; interim Joanna apparet gravida de Philippo, quod observans pater instat, ut illam nunc in uxorem ducat, minando alioquin utrique mortem. Ille, fide sibi relaxata, & de novo alteri cum juramento datâ, se excusat, & ad angustias redactus, ad Confessarium recurrit, petens, utram debeat ducere?

Resolvo cum Ludovico de Beia, quod debeat ducere primam, quia pater vi iniquâ impulit filiam ad renuntiandum promissione datæ.

C A P U T II.

De Sacramento Matrimonii.

§. Unicus. *Quid sit Matrimonium, & quando institutum?*

Matrimonium considerari potest vel sub ratione contractus, vel sub ratione Sacramenti. Matrimonium in ratione contractus est, *Viri, mulierisque conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam viræ societatem retinens.*

Matrimonium ut est Sacramentum, in communis sententia definitur: *Sacramentum novæ Legis, in quo vir & mulier per conjunctionem maritalis individuam societatem ineunt.*

Matrimonium quatenus est in officium naturæ primitus ordinatum, id est, ad procreationem prolis, institutum est ante peccatum, & verosimili-

similiter statim post creationem Evæ ex Adæ costa: *Qui enim fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos: & quod Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19.

Matrimonium in ratione Sacramenti verosimilius institutum est in Cana Galileæ Joan. 2. v. 2. & constat ex S. Cyrillo lib. 2. cap. 22. ad hunc locum dicente: *Opportunè jam ad signorum initium accedit: nam honestè celebratis nuptiis, tam mater, quam ipse cum discipulis invitatus adest, ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, hoc est matrimonium, sanctificaret: oportebat certè, quoniam totam hominis naturam ad melius restauraret, non solum natis jam hominibus benedicere, sed etiam nascituris gratiam preparare, & aditum illorum ad hanc vitam, auctoritate Miraculi, & presentiâ suâ sanctum efficere.*

In mundi exordio, quamdiu fuit paucitas hominum, extitit præceptum contrahendi matrimonium, modò non existit similis obligatio: *Prima Dei sententia crescere, & generare præcepit, secunda continentiam suasit.* S. Cyp. lib. de habitu Virginum circâ finem.

Materia proxima hujus Sacramenti sunt actus contrahentium, seu consensus utrinque partis exterius manifestatus. Forma sunt verba Parochi: *Ego vos in matrimonium conjango in nomine Patris &c.* vel alia æquivalentia juxta consuetudinem cujusque loci.

Effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis, & gratia Sacramentalis, quæ

362 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

ad hoc datur, ut conjuges castè sese diligent, & pacificè cohabitent, infirmitates mutuas supportantes, ac matrimonio ritè utentes, id est, non sequendo impetum libidinis, sed legitimam proliis procreationem, ejusque honestam & piam educationem intendendo.

Minister hujus Sacramenti est solus Parochus, vel alius Sacerdos, de ipsius, vel Ordinarii licentia; licet non desint, qui ministros hujus Sacramenti docent esse contrahentes.

Solum Parochum, &c. esse hujus Sacramenti ministrum, constat ex Trid. sess. 24. cap. 1. ubi præcipit, quatenus Parochus in celebratione matrimonii viro & muliere interrogatis, ac eorum consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* cumque illa verba sint vera, & Parochus tunc non conjungat sponsos in Matrimonium sub ratione contractū consideratum, (contractus enim antè per consensum utriusque exteriū manifestatum celebratus est) necesse est, fateamur, quod Parochus eos conjungat in matrimonium sub ratione Sacramenti.

C A P U T III.

De Consensu, & Contractu Matrimoniali.

§. I. *Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii?*

P. I. **A**N ad valorem contractū matrimonialis absolutè requiratur consensus in copulā.

- ¶. Neg. Quia fuit verum matrimonium inter Beatam V. M. & B. Josephum, ut constat ex Matth. 1. & Lucæ 2. atqui B. Virgo non potuit absolute consentire in copulam, ut potè quæ vovisset Virginitatem, ut patet ex S. Aug. lib. de Virg. cap. 4.
2. An ad valorem matrimonii sufficiat consensus internus?
- ¶. Regulariter loquendo, opus est consensu exteriùs per verba de præsenti expresso. Ita Flor. quod & praxis Ecclesiæ confirmat.
- Dixi: *Regulariter loquendo*, quia extraordinariè possunt adhiberi signa æquivalētia, ut V.G. si mutus contrahat.
3. An ad valorem contractū matrimonialis sufficiat consensus exteriùs manifestatus?
- ¶. Neg. Saltem ubi Trid. est receptum, quia, ut Trid. sess. 24. cap. 1. debet insuper exteriùs manifestari coram Parocho &c. Et duobus, vel tribus testibus, qui non tantum physicè debent esse præsentes, sed & moraliter.
4. An consensus parentum requiratur ad valorem matrimonii?
- ¶. Neg. Contrarium definitum est in Conc. Trid sess. 24. cap. 1. de Ref. interim qui ineunte matrimonium parentibus rationabiliter invitit, peccant graviter, quia reverentia jure naturæ parentibus debita, postulat, ut filii, & filiæ consulant parentes in actionibus magni momenti.

§. An

5. An peccet Parochus conjungendo aliquos matrimonio parentibus invitatis?

R. Aff. Et hoc vel maximè, dum minorennē subsunt potestati parentum, quando illos conjungit Sacramentaliter, & notorium est, vel ex propria confessione conjugum, vel publicā famā, aut circumstantiis parentes esse rationabiliter invitati, quia cooperantur peccato alieno, & sacrilegæ susceptioni Sacramenti.

An ad valorem matrimonii sufficiat contractus metu extortus vide supra 213. ubi materiam hanc discussam reperies.

C A S U S X.

Parochus interrogat sponsos, an habeant consensum parentum, & hi respondent se non habere; hinc Parochus recusat eos conjungere, quo intellecto, sponsi in ejus præsentia, & coram testibus, ipso recente, satis tamen advertente, quid agatur, verba, quibus de more contrahi solet, proferunt: an subsistat matrimonium?

R. Matrimonium sic contractum in ratione sacramenti nullum est. Siquidem Parochus hujus Sacramenti verisimiliter minister est, non contrahentes, atque verbis illius ratio formæ attribuenda est. In casu tamen posito matrimonium in ratione contractus valere publici juris est.

§. 2. An

§. 2. *An ad valorem Matrimonii sufficiat
consensus conditionatus?*

1. Potest sufficere consensus conditionatus, si conditio sit de praesenti, aut præterito, V. G. si quis dicat: *Accipio te in meam, si natus sis ex tali parente, vel si jam possideas tale dominium &c.*

Ratio est, quia contractus tunc non suspenditur, sed subsistente conditione subsistit, non subsistente, nullus est.

2. Ad valorem matrimonii sufficit consensus sub conditione de futuro necessario cognito ut tali, ut V. G. si quis dicat: *Contraaho tecum, si cras Deus existet &c.*

Ratio est, quia conditio de futuro necessario ut tali cognito, non suspendit contractum, eò quod non sit causa exspectandi eventum conditionis, quæ moraliter æquivaleret praesenti.

3. Conditiones intrinsecæ contractui, impossibles, & turpes habentur pro non adjectis, adeoque independenter ab illis subsistit contractus.

Exemplum 1. generis est: *Contraaho tecum, si sim habilis ad contrahendum.*

2. Generis est: *Contraaho tecum, si calum digito tetigeris.*

3. Generis est: *Contraaho, si sis occisurus patrem tuum.*

Conditiones intrinsecas haberi pro non adjectis clarum est ex natura ipsius contractus,

in quo illæ conditiones censentur inclusæ
independenter à nobis.

Conditiones impossibilis, uti & turpes
itidem haberi pro non adjectis, constat ex
Cap. Si conditiones de conditionibus appositis,
ubi dicitur: *Si conditiones contra substantiam
conjugii inserantur, putat, si alter dicat alteri,
contra hoc tecum, si generationem proli evites, vel
donec inventam aliam honore, vel facultatibus
digniorem, aut si pro questu adulterandam to-
tradas; matrimonii contractus, quantumcum-
que sit favorabilis, caret effectu, licet alia con-
ditiones apposita in matrimonio, si turpes, &
impossibilis fuerint, debeant propter ejus favo-
rem pro non adjectis haberi.*

Collige ex dictis tres dari conditiones con-
tra substantiam matrimonii illud plenè ener-
vantes, & quæ directè opponuntur tribus ma-
trimonii bonis, proli, fidei, & Sacramento.

P. 1. Quomodo Pontifex efficere potest, ut
conditio impossibilis non evertat matri-
monium, cùm omnem juris naturæ contra-
ctum enervet?

P. 2. Pontificem solùm agere de foro externo, &
merè decernere, ut si ejusmodi conditio ad-
jiciatur, ex rationabili præsumptione in fa-
vorem matrimonii, judicetur contractui ap-
posita instar modi, seu gravaminis, vel tam-
quam pactum contractui principali extrin-
secum, eique posteriùs annexum. Quod ut
intelligatur,

Notas

Nota, quod contractus initus sub modo, sit
virtualiter duplex; complectitur enim virtua-
lem conventionem, ac deinde modum, sub
quo initur, qui est pactum planè distinctum, &
priori extrinsecum, adeò ut contractus prior
à pactione secunda minimè dependeat: V. G.
Petrus constituit *joannem* suum hæredem cā
lege, ut postea hospitale erigat: dispositio
Petri est omnino valida, & independens ab
erectione hospitalis, ad quam Joannes per
modum appositum est obligatus. Igitur quia
matrimonium summi est momenti, & nemo
nisi serio, ac mature illud aggredi censem
præsumit Pontifex, & præsumendum esse
statuit, conditiones illas non fuisse adjectas
tamquam veras, sed adinstar pactorum &
contractuum omnino distinctorum, quamvis
interim matrimonium in foro conscientiæ sic
nullum, si contrahens noluerit matrimo-
nium inire, nisi dependenter à conditione
impossibili.

2. An conditiones de præterito, quæ si essent de
futuro, repugnarent substantiæ matrimonii,
contractum evertant? V. G. An valeat matri-
monium hoc modo initum: *Contra hoc tecum, si
generationem prolixi evitasti, si adultera fuiisti?*

R. Neg. Quia actu, & de facto non sunt contræ
substantiam matrimonii, quandoquidem non
destruant obligationem, quæ nascitur ex
contractu matrimonii, nec illi opponitur.
In illo namque quod sponsa heri fuerit adul-
teria,

tera, non continetur aliquid repugnans obligationi matrimonii.

3. Quid si sponsus contrahendo matrimonium faciat intentionem postea evitandi procurationem proli, prostitutionem sponsæ?

R. Id non eversum contractum matrimonii, quia sponsus supponitur se, vel sponsam ad id non obligare: quod evitetur generatio proli, vel quod uxor se prostituat, est quidem contra legem matrimonialem, sed non est contra substantiam contractus, eo quod non destruat obligationem conjugii.

Nota, quod evitare generationem proli dupliciter accipi possit; semel, ut importat abstinenciam à copula, semel verò, ut idem sit atque supposita copula impedire generationem, & in utraque acceptione est contra substantiam matrimonii, prout ordinariè initur.

4. Utrum, quando matrimonium contractum est sub conditione de futuro honesto, vel indifferenti, opus sit novo consensu, quando conditio impletur, an verò positâ conditione subsistat eo ipso matrimonium independenter à novo consensu?

R. 1. Si matrimonium fuerit contractum absente parocho, & testibus, clarum est, illud non valere in locis, ubi Trid. est receptum, nisi in eorum praesentia renovetur consensus, saltem æquivalenter. Neque sufficit, sponsos impletâ conditione coram parocho, & testibus dicere: *Contraximus matrimonium, sed* opor-

oportet dicere: *Contra hō*, aut aliud quid æquivalens: partim quia requiritur consensus de præsenti, partim, quia dicendo: *Contra maximus*, tantum significatur, quid ante gestum fuerit, minimè verò, quod jam adsit consensus.

R. 2. Matrimonium contractum sub conditione de futuro honesto, vel indifferenti valet in in ratione contractū statim atque conditio impletur, saltem loquendo ex natura rei, ac proinde in locis, ubi Trid. neandum est acceptum, non requiritur novus consensus, sed æquè ac alii contractus initi sub conditione, incipit valere atque conditio ponitur.

C A S U S XI.

Titius bona, vel mala, fide contraxit cum Caja matrimonium, cui tamen erat affinis propter copulam ante habitam cum ejus sorore; Titius intelligit ex confessario matrimonium suum esse nullum, immo perpetuam fornicationem propter impedimentum affinitatis, ideoque occultè procurat sibi dispensationem à Pontifice, quā impetratā; queritur, an iteratè contrahere debeat, & quomodo?

Hujus casūs decisio eruitur ex resolutione Clémentis VIII. ut refert Paulus Comitolus Lib. 1. Resp. Mor. Q. 120. *Cum enim primaria quedam femina viro etiam primario nupisset, animo tamen à connubio dissentendi, & per multos annos in matrimonio mansisset, & proles suscepisset, consultus occultè Pontifex, quid mulieri ad saniorem mentem redeungi, agendum foret? Respondit esse necessarium novum consensum utriusque coram pa-*

370 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.
rocho, & testibus, admonito prius marito de matrimoniij nullitate.

Ratio est, quia totum, quod antè gestum est, nullius fuit roboris, neque dispensatio tradit ullam vim priori contractui, sed tantum reddit personas habiles, quæ antè ad contrahendum fuerant inhabiles.

C A S U S XII.

Quid agendum fœmina, qua conscientia nullitatis matrimonij, marito illam indicare non audet, nisi forte, se liberum intelligens, cum scandalo recedat, matremque cum prole multiplici deserat?

R. Certum esse, quod in illo statu neque debitum petere, neque reddere ullo modo licet possit; quandoquidem sciat certò actum carnalem meram fore fornicationem: proinde vel per se, vel per confessarium suum, vel aliam personam idoneam id agere debet, ut maritus consensum suum expressè, aut saltem tacitè, & virtualiter coram parocho & testibus innovet, cum cautè inducendo, ut uxori suæ sincerè dicat: *Si matrimonium nostrum sit invalidum, te hic & nunc in meam accipio.* Decreta Pontificia, quæ exigunt, ut pars altera certificetur de nullitate matrimonii, intelligenda sunt de casu ordinario, in quo periculum jam delineatum non repetitur.

¶ (†) ¶

CA.

C A P U T I V.

De impedimentis Matrimonii.

§. I. *Quid & quotplex sit impedimentum Matrimonii?*

Matrimonium hīc præcipuē consideratur in ratione contractū, & per consequens impedimentum matrimonii est, omne illud, quod impedit contractum matrimonii.

Impeditur autem duobus modis, nempē quando redditur nullus, vel quando illicitus.

Impedimenta matrimonii etiamsi directē solum afficiant contractum, indirectē tamen, & ex consequenti afficiunt ipsum Sacramentum, cūm contractus sit materia illius.

Impedimentum matrimonii dividitur in impedimentum dirimens, & in impediens tantūm.

Dirimens dicitur, quod efficit matrimonium invalidum, & nullum. Impediens tantūm, quod non efficit invalidum, sed illicitum.

Princeps sacerdotalis ex natura rei potest constitutere impedimenta matrimonium dirimentia, si matrimonium in ratione contractū consideretur: Ex quo tamen matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum est, Ecclesia facultatem ejusmodi impedimenta constituendi sibi voluit reservatam, ut ex praxi perpetua, & traditione fidelium constat.

Impedimenta dirimentia recensentur his verbis:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,

Aa 2

Culz

atria
n est,
radit
eddit
dum
itatis
s, ne
lo re-
t?
e de-
licitè
urna-
e vel
liam
ritus
&
over,
e di-
, te
ficia,
nul-
or-
n

CA.

*Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas;
Si sis Affinis, si Clandestinus, & Impos;
Si Mulier sit rapt a loco, nec reddit a tuto:
Hac socianda vetant connubia, facta retractant.*

**§. 2. Error, Conditio, Votum,
Cognatio, Crimen.**

Error huc pertinens assignari solet quadruplices: videlicet *Personæ*, ut si putas te contrahere cum Joanna, & contrahas cum Antonia: *Fortunæ*, ut si putas te contrahere cum divite, quæ tamen est pauper: *Conditionis*, ut si conjux putetur libera, quæ tamen est serva: *Qualitatis*, ut si putas te contrahere cum nobili, & est ignobilis.

Error dividitur in antecedentem & concomitantem. *Antecedens* est, qui est *causa actus*, & in *eum influit*, ita quidem ut *absque illo non poneretur actus*: *concomitans* vero, qui non est *causa actus*.

1. Error personæ jure naturæ dirimit matrimonium, quia illo posito, deest verus consensus.

2. Error qualitatis, sive accidentium personæ de se, & ex natura rei non irritat matrimonium, quia accidentia personæ non sunt objectum contractus, sed ipsa persona, in quam similiter consentit.

Nota 1. Conclusionem non esse intelligendam de errore qualitatis, qui est *antecedens*, quia si contrahens ita sit animo affectus, ut ad contrahendum merè moveatur à qualitate personæ, quam existimat subesse, & nolit contrahere nisi qualitas sub sit, deest consensus, si qualitas non ad sit.

Nota

Nota 2. Nec eam esse intelligendam de errore qualitatis, quando contractus est conditionatus, & qualitas personæ exigitur à contrahente per modum conditionis, ut V. G. si dicam: *Contra hoc tecum, si sis integra, si sis primogenita &c.* quia tali casu error qualitatis redundat in personam.

Per conditionem intelligitur servitus propriæ dictæ. Servitus cognita jure positivo dirimit matrimonium, ut si persona libera contrahat matrimonium cum persona serva, quam existimat esse liberam. Aliter judica, si prius conditionem servilem antè agnoverit.

Votum *solemne* *tum* *in* *religione* *approbata* *emissum* , *tum* *in* *susceptione* *Ordinis* *majoris* *connexum* *dirimit* *jure* *Ecclesiastico* *matrimonium* *contrahendum*. Item *votum* *simplex* *in* *Societate* *JEsu* *emissum* *dirimit* *similiter* *matrimonium* *contrahendum*. Patet ex *Bulla* *Greg.* *XIII.* *incipiente*: *Ascendente Domino.*

Triplex *est* *cognatio* *dirimens* *matrimonium*: *naturalis* , *spiritualis* , *& legalis*.

Cognatio *naturalis* , *seu* *consanguinitas* *est*, *Propinquitas* *multorum* *ab* *codem* *stipite* *communi* *descendentium* *per* *generationem* *carnalem*. *Talis* *est* *cognatio* *inter* *fratres* &c.

Per *stipitem* *communem* intelligitur *commune* *principium* *generationis*, *ex* *quo* *nempè* *multa* *descendunt*, *ut* *V.G.* *pater*, *aut* *mater* *est* *communis* *stipes* *respectu* *fratrum* , *&* *sororum* , *&* *hic* *stipes* *est* *primum* *inquirendum*, *quotiescumque* *volumus* *dignoscere* *gradus* *consanguinitatis*.

Aa 3 Cognit.

Cognatio spiritualis est, Propinquitas fure Ecclesiastico introducta inter aliquas personas ratione Baptismi, & Confirmationis. V. G. inter baptizatum, & baptizantem &c.

Cognatio legalis est, Propinquitas personarum proveniens ex adoptione, per quam extranea assumitur in filium, vel nepotem, ita ut transeat in postatem adoptantis, & ei succedit tanquam heru. His dictis,

Pet. 1. Ad quem usque gradum cognatio naturalis dirimit matrimonium?

R. Dirimit usque ad quartum gradum inclusivè.
2. Inter quos cognatio spiritualis dirimit matrimonium?

R. Cognatio spiritualis orta ex Baptismo dirimit matrimonium postea contractum inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, inter susceptorem, & susceptum, susceptique Patrem & Matrem.

Orta ex Confirmatione dirimit similiter inter confirmantem & confirmatum, confirmati que patrem, & matrem, inter susceptorem, sive tenentem, & susceptum, susceptique patrem, & matrem. Ita Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. ibidemque tolluntur omnes cognationes spirituales, quæ inter alias personas solebant contrahi.

3. Ad quem usque gradum cognatio legalis dirimit matrimonium.

R. Usque ad quartum inter adoptatum, & adoptantem, quamdiu adoptio durat, & non aliter.

4. Quæ

4. Quæ criminæ dirimunt matrimonium?
5. Duo, videlicet: *Adulterium* & *homicidium*,
dummodo adsint conditiones requisitæ ad im-
pediendum illud.

Dirimit autem *adulterium* matrimonium inter adulterantes primò, si adulter vivente conjugē contraxit matrimonium cum adultera, aut vice versa. Secundò, si adulteri, vivente conjugē, sibi promiserint matrimonium post mortem conjugis ineundam.

Homicidium dirimit matrimonium, quando uxor V. G. communi consilio cum Petro procurat mortem mariti, aut quando maritus communi consilio cum *Berta* procurat mortem uxoris eâ intentione, & pacto, ut simul contrahant matrimonium post illius mortem.

§. 3. *Cultus, Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.*

CULTUS DISPARITAS est, Differentia, quare repe-
ritur inter personam baptizatam, & non bapti-
zatam.

Zatam. Hoc impedimentum contrahitur, quia hæc
disparitas contraria est matrimonio ratione prin-
cipalioris boni ipsius, quod est bonum proliis
educandæ ad cultum Dei. Quod si ambo in in-
fidelitate contraxerint, maritus ad fidem conver-
sus cum conjugè infideli poterit remanere, ece-
nim quod matrimonio semel valido tantum
supervenit, illud non dissolvit; eam tamen dimit-
tere poterit, si nullo modo pacificè, & non sine

376 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

blasphemia divini nominis cohabitare velit, dicente Apostolo: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam..... Quod si infidelis discedit, discedat.* 1 ad Cor. 7. Unde si post discessum aliam (fidelem tamen) in uxorem duxerit, validè contraxit, non quod causa dissolutiva prioris matrimonii sit baptisimus, sed matrimonium secundū initum.

Matrimonium fidelis cum hæretica, quamvis non sit invalidum, potest tamen ratione circumstantiarum esse illicitum, quando est periculum, ne fidelis subvertatur à conjugi, & ne proles educetur in hæresi, præsertim si uxor sit hæretica.

VIS est, *Violentia, seu coactio, quæ fit per incusione metus injusti, & ad extorquendum consensum ordinati.*

Hinc nec ex levi, nec ex naturali causa proveniens metus, matrimonium poterit impedire, aut irritare.

Si quis ergò metu mortis, inferni, naufragii imminentis periculo concubinam duxerit, validus est contractus. Pariter si metus incutiatur justè, V. G. Si Judex minetur mortem stupratori, nisi stupratam ducat &c.

ORDO: Sub hoc nomine intelligitur Ordo major, qui dirimit ex constitutione Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. matrimonium postea contrahendum, non antè contractum.

LIGAMEN est, *Matrimonium cum alio validè contractum, etiam si non fuerit consummatum: quo durante, uxor alligata est viri, nec aliam ducere potest.*

potest. Si vir mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Hujus autem mortis certitudinem ex temporis mora, aut diuturna absentia non divinet, sed certis ex nuntiis, ut definit Clemens III. Cap. in præsentia. de sponsalibus.

HONESTAS PUBLICA est, *Impedimentum proveniens ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato, & non consummato, vel etiam ex matrimonio invalido ob aliam causam, quam ob defectum consensus sufficientis, ut si contrahatur cum errore personæ &c.*

P. 1. In quo gradu honestas orta ex sponsalibus validis dirimit matrimonium?

¶. In primo gradu utriusque lineæ inter sponsum, & consanguineos sponsæ, item inter sponsam, & consanguineos sponsi. Ita Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. Hinc si valida contraxeris sponsalia cum Catharina, invalidè contrahis matrimonium cum Anna sorore Catharinæ, etiam si ante contractū Matrimonium hæc mortua fuerit, quia hoc impedimentum est perpetuum, perseveratque post mortem.

2. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio rato dirimit Matrimonium?

¶. Usque ad quartum, constat ex Bulla Pii V. cui titulus: *Ad Romanum spectat.*

3. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio ob aliam causam, quam ob defectum consensus, invalido?

¶. Etiam usque ad 4. constat ex Bulla citata.

§.4. *Amens, Affinis, si Clandestinus, & Impos.*

AMENTIA PRÆCEDENS Matrimonium, si sit perpetua, dirimit Matrimonium ante contrahendum, quia amens non potest liberè consensum elicere. Si autem sequatur, Matrimonio jam validè contracto, non dirimit illud ex natura sua indissolubile.

Caveat tamen maritus uxori amenti debitum reddere, propter abortūs, aliorumque inconvenientium pericula.

AFFINITAS nil est aliud, quam propinquitas orta ex carnali copula, afficiens virum, & consanguineos viri. Dirimit Matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusivè, si orta sit ex copula licita; usque ad secundum, si orta sit ex illicita, aut fornicaria.

Dixi *contrahendum*, quia si affinitas supervenit Matrimonio jam contracto, illud non dirimit, sed tantum impedit, quò minus illa pars, quæ peccavit, possit exigere debitum.

P. 1. Utrum affinitas pariat affinitatem, id est, an ego V. G. siam affinitus consanguineis, quia factus sum tibi affinis?

R. Neg. Post Conc. Lateranense IV. sub Innoc. III. anno 1215. celebratum. & sic Titius potest ducere Annam sororem Caiæ uxoris fratri sui, quamvis Caiæ sit affinis. Ex his

Sequitur 1. Duos fratres posse Matrimonium contrahere cum duabus sororibus, immo patrem, & filium, cum matre, & filia.

2. Quod

2. Quòd Titius, qui uxorem duxerat sororem Petri, possit post mortem Petri, ejusque sororis, inire Matrimonium cum Anna uxore Petri.

3. Quòd filius uxoris ex alio marito, possit contrahere cum filia mariti ex alia uxore.

4. Virum, mortuā uxore, posse contrahere cum relicta uxore fratri uxoris suæ.

2. Utrum affinitas oriatur ex matrimonio non consummato?

P. Neg. Sed ex illo oritur justitia publicæ honestatis, ut suprà dictum est, quia affinitas nascitur ex copula carnali consummata.

3. Utrum affinitas oriatur ex copula coacta?

P. Aff. Colligitur ex Cap. discretionem. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris.

MATRIMONIUM CLANDESTINUM est, *Celebratio Matrimonij sine præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis, cum ejus licentia, & duorum testium, dirimitque Matrimonium sic contractum, in locis ubi Trid. est receptum.*

IMPOTENTIA est, *perpetua incapacitas ad perficiendam copulam.* Et hæc dirimit Matrimonium, si in alterutra conjugi antecedat Matrimonium: si autem obveniat post contractum, non dirimit illud.

P. 1. Quæ impotentia vocatur perpetua?

P. Illa, quæ non potest removeri arte medicâ, vel absque periculo vitæ aut simili gravi incommodo. Ex dictis

Collige 1. Quòd illa impotentia sit perpetua, quæ non potest auferri, nisi per artem

ma-

380 TRACTATUS DE SACRAM. MATRIMONIIS.

magicam, seu aliam actionem illicitam. Illud
'non possumus, quod jure (sine peccato) non possumus. Reg. juris in sexto.

2. Quod illa etiam impotentia sit perpetua,
quæ non nisi per miraculum tolli potest. Miraculum autem voco, *quod fit modo extraordinario, & inconsueto*, quia, si impotentia ex maleficio proveniens, per ordinarios exorcismos, & Ecclesiæ preces auferri possit, non erit impedimentum ditimens.
2. An mulier validè contrahat, quæ non potest generare vel nequit edere fætum nisi mortuum?
- ¶. Aff. Quia sufficit, quod possit consummare Matrimonium, & per accidens est, quod effectus Matrimonii non sequatur.
3. Quantum temporis conceditur ad explorandum, utrum impotentia sit perpetua?
- ¶. A jure concedi triennium. Finito autem triennio conceditur reclamatio, seu declaratio occulti impedimenti, ut ab invicem separentur.
4. An non peccaverint putatitii hi conjuges, cum stante Matrimonii nullitate, attenterint actus fornicarios?
- ¶. Neg. Quia laboraverunt ignorantia facti, quæ ipsos à peccato formaliter excusat.
5. Quid si separatione facta pars impotens deprehendatur non laborasse impotentiam perpetuam, ex eo V.G. quod cum alio copulam habuerit?
- ¶. Teneri experiri, utrum non sit impotens respectivè, id est respectu alterius compartis, à qua fuit separata, et si deprehendat se respectu illius

illius non amplius laborare impotentiā, debet ad eam redire, etiamsi utraque transiisset ad secundas nuptias, quia Matrimonium illorum fuit ab initio validum, secus loquere, si deprehendar se respectu illius adhuc esse impotentem.

RAPTUS est, violenta abductio alicuius personae invitae in ordine ad Matrimonium. Raptus autem dirimit Matrimonium contrahendum, ita ut cum illa persona, quam raptor invitam rapuit per se, vel per alium, nisi prius ponatur in loco tuto, & restituatur pristinæ libertati, contrahere non possit.

C A S U S X I I I .

Filia nobilis, & dives obtinet dispensationem ad contrahendum Matrimonium cum consanguineo, ob inopiam, quam pro titulo impetrande dispensationis falso allegabat; antequam verò Matrimonium contrahat, revera depauperatur, quid faciendum?

R. Dispensationem non subsistere, quia vult Pontifex, ut preces veritate nitantur, dum actu dispensat: proinde dispensatio ab initio erat nulla, ergo frustratur effectu, nisi iteretur, quod non fit nisi denuо petatur.

C A S U S X I V .

Quædam femina nobilis ante contractum Matrimonium declaraverat se potius passuram quidvis, & mortem sibi illaturam libenter, quam contraheret cum ignobili: postmodum autem defectus nobilitatis in marito fuit manifestus, & indè illa voluit resilire à Matrimonio. Queritur, quid dicendum sit in hoc casu?

R.

382 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

R. Quòd istud Matrimonium fuerit nullum,
quia in illius contractu evidenter defuerat con-
sensus illius fæminæ.

Nec refert, quòd fuerit dumtaxat initum
cum errore qualitatis, quia erat error antec-
dens in personam redundans.

C A S U S XV.

*Mulier Joanna sibi conscientia erat de nullitate Ma-
trimonii propter impedimentum dirimens sibi notum:
interim non audebat illam nullitatem indicare ma-
rito, quia noverat illum ad rixas &c. primum. Per-
mittebat copulam carnalem, quotiescumque maritus
illam requireret, queritur, an hæc mulier culpanda?*

R. Aff. Et procul dubio, nullatenus enim
poterat reddere debitum conjugale, etiam si hæc
incommoda prævidisset, cùm Matrimonium
esset absolutè nullum, & non sint facienda mala,
ut eveniant bona, vel avertantur mala.

C A S U S XVI.

*Plures tetigerunt quamdam filiam, dum bapti-
zabatur, sed nullus fuit determinatè designatus
patrinus. Queritur: an omnes, qui istam filiam in
tali casu tetigerunt, contraxerint impedimentum
cognitionis spiritualis?*

R. Quòd nullus eorum contraxerit: quia Conc.
trid. extendit hujusmodi impedimentum tantum
ad eos, qui designati fuerunt. Si alii ultra designa-
toς baptizatum tetigerint, cognitionem spiritualem
nullo modo contrahunt. Sess. 24. cap. 2. de reform.

C A S U S XVII.

*Quidam parens baptizavit propriam prolem:
qua-*

quaritur, an contrahat cognationem spiritualis
cum prole, & ejus matre?

R^e. Si id faciat scienter, & extra casum necessitatis Aff. si id faciat in necessitate, vel ignorantia, negativè.

Ratio primæ partis est, quia Trid. sess. 24. cap. 2. generaliter statuit impedimentum cognationis spiritualis inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem.

Ratio 2. partis est, quia in rituali Pauli V. dicitur: *Pater, aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizaret: neque tunc nullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii usum impedit.* Si autem pater propriam baptizet prolem, existimans esse alienam, nullum similiter contrahitur impedimentum, ut constat ex Cap. *Si vir, de cognatione spirituali.*

C A S U S XVIII.

Titius, & Caja procurant mortem Semphronii mariti Caiae. Simul non paciscuntur de Matrimonio in eundo, nec spem postea contrahendisibi mutuo faciunt, sed de ista re nihil loquuntur; an contrahant impedimentum dirimens ob crimen?

R^e. Aff. Si saltem interius sperent, aut contendant simul postea contrahere. Imò videtur sufficere, quod malitiosè procurent mortem Semphronii, quia Cap. *Landabilem de conversione infidelium nihil aliud exigit.*

Favet etiam ratio, quia Ecclesia meritò presumit, quod tales machinati sint de morte

ma-

mariti, vel cum pacto de matrimonio ineundo,
vel cum spe illius.

C A S U S X I X.

Joannes putans uxorem suam vivere, contrahit
cum Constantiam coram parocho, & testibus, volens
illam decipere; postea verò intelligit, uxorem suam
reverà fuisse mortuam, ac proinde non subfuisse im-
pedimentum ligaminis in secundo contractu: valet
ne matrimonium sic initum?

R. Non valere, si Joannes nullo modo Con-
stantiam ducere voluerit, quia consensum inter-
num ad valorem Matrimonii necessarium esse,
antè demonstravi: si tamen Joannes generalem
hábuerit intentionem sese obligandi, prout pote-
rat, eamque ducendi, quatenus illud possibile
erat, contractum valuisse patet.

C A S U S X X.

Quædam fœmina, existimans suum maritum esse
mortuum, bonâ fide contraxit matrimonium cum
secundo viro; sed postea dubitat de morte mariti,
& quidem dubio probabili, ac prudenti, queritur
quid illa mulier debuerit agere?

R. Illa, stante tali dubio, non potuit petere
debitum, quia se exposuisset periculo adulterii:
unde inducere debuit maritum, ne debitum exi-
geret, maximè si fuerit dubii conscius, sed præ-
stolaretur ad breve tempus, ut certi de valore
Matrimonii, vel de nullitate clare videant, quid
sine peccato fieri possit, & debeat.

C A S U S X X I.

Maritus quidam committit incestum cum con-
san-

sanguineā uxoris suae in tertio gradu: potestne adhuc exigere debitum à sua uxore?

R. Aff. Quia copula illicita tantum parit affinitatem usque ad secundum gradum, & consequenter isto titulo non impeditur, quo minus exigat debitum ab uxore. Aliud porrò dicendum esset, si maritus cognosceret consanguineam uxoris suæ in primo, aut secundo gradu.

C A S U S XXII.

Paulus, & Paulina Matrimonium Aut verpiè contrahere volentes, sed non valentes, in Flandriam tendunt præcisè ideo, ut ibidem contrahant; ibique junguntur. Quaritur, an Matrimonium subsistat?

R. 1. Si eant in Flandriam animo ibi non manendi, nisi donec juncti sint, Matrimonium non valet, quia tunc non censentur in Flandria verè habere domicilium. Porrò Trid. sess. 24. cap. 1. exigens benedictionem proprii parochi, aperte intelligit de parocho, apud quem contrahentes verè habitant in proprio domicilio.

R. 2. Si eant in Flandriam ibidem semper habitaturi, vel notabili tempore, matrimonium valet, quamvis ideo præcisè in Flandriam iverint, ut ibi contrahere possent. Ratio est, quia tunc verè in Flandria domicilium habere censentur: sicut Scholastici in Academia, V. G. qui Philosophiæ, vel Theologiæ incumbentes Lovanii, vel Duaci comorantur, aut sicut solicitatores in Curia, &c. neque ex eo, quod talis migratio in fraudem facta sit, sequitur, quod ibi jungi nequeant, equidem non fictè, & fraudulenter, sed verè facta est.

Bb

R. 2

Resolutio locum habet, si quis in Galliam &c. tendat subterfugiendi Concilii Trid. decreti de praesentia parochi &c. causâ.

C A S U S XXIII.

Quidam Judex Ecclesiasticus, existimans quamdam feminam perpetuo impotentem, tulit sententiam de nullitate matrimonii: sed postea experientia probatum est, quod non fuerit perpetua impotentia, quia genuit filium. Interea facta matrimonii dissolutione, vir bona fide transiit ad secundas nuptias. Queritur, an maritus teneatur amplecti primam conjugem, & deserere secundam?

R². Aff. Si non sit amplius impotens respectu compartis, à qua fuit separatus. Ratio est, quia in tali sententia fuerat validum coram DEO, adeoque per judicem non poterat dissolvi.

§. 5. De Impedimentis impedientibus.

HÆc continentur sub hoc versu:
Tempora, mandatum, votum, sponsalia, crimen:
Impedient fieri, permittunt facta teneri.

Primum igitur impedimentum sunt certa quædam tempora, quibus ab Ecclesia prohibitæ sunt nuptiæ, & earum solemnitates, nempe ab adventu, usque ad Epiphaniam, & à die cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè. Ita Trid.

Secundum impedimentum est interdictum, seu prohibitio, ut si Episcopus, vel ejus Vicarius, vel etiam Parochus justa de causa prohibeat, ne aliqua persona cum alia contrahat.

Tertium est votum simplex, sive sit castitatis,

sive

sive religionis ingrediendæ, sive de non contrahendo Matrimonio, sive de suscipiendis S. Ordinibus. Excipe votum simplex, quod in Societate Jesu emittitur, non tantum impediens Matrimonium, sed & jam ex constitutione ecclesiæ dirimens.

Quartum impedimentum sunt sponsalia, & ea faciunt, ut qui validè contraxit cum una, non possit licetè contrahere Matrimonium cum alia, nisi priora sponsalia vel per mutuum consensum, vel alia justa de causa fuerint disrupta.

Quintum est crimen, & sub hujus nomine continentur septem gravia crimina, ratione quorum Matrimonium prohibetur talibus peccatoribus. 1. Est incæstus commissus cum consanguineis uxoris viventis in primo, aut secundo gradu. Item cum consanguineis propriis in eodem gradu. Incæstus occultissimus cum consanguineis sponsæ, aut uxoris ducendæ non tantum impedit, sed etiam Matrimonium dirimit. 2. Raptus alienæ sponsæ. 3. Uxoricidium, nisi sit commissum in flagranti uxoris adulterio. 4. Occisio Sacerdotis. 5. Susceptio prolis propriæ animo fraudandi suam conjugem debito conjugali. 6. Pœnitentia publica, quamdiu durat. 7. Matrimonium attentatum cum Moniali professa.

Sextum, quodvis peccatum mortale, quod impedit dignam Sacramenti susceptionem.

Præter hæc impedimenta aliud est, quod occurrit, & non dirimit Matrimonium, sed tamen graviter reddit illicitum, videlicet omissione denunciationum, sive proclamationum absque dispensatione, vel justa causa. Bb 2 Alia

588 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

Alia impedimenta sunt sublata modo, partim
ex dispensatione Trid. partim ex consuetudine.

C A S U S XXIV.

*An in Provinciis Belgii confederati valeant
Matrimonia Catholicorum cum hereticis coram
Magistratu heretico contracta, non obstante decre-
to Conc. Trid. de Solennitatibus Matrimonij in illis
Provinciis publicato, & recepto?*

Res. Non vidi hactenus, quod ejusmodi Matri-
monia cogat pronuntiare certi roboris. An ergo
qui sic contraxissent, separandi forent? Nec illud
asserere ausim. Magis placet opinio eorum, qui
consulti in tali casu, responderent, eos posse qui-
dem sic manere, nec separari debere, non tamen
petere debitum, posse nihilominus reddere; quia
tale Matrimonium est dubiosum, maximè ob op-
inionum contrarietatem, eorumque non con-
temnenda, quibus nituntur, fundamenta. Quam
enim res hæc sit dubia, vel ex eo patet, quod con-
tendant aliqui, ad quæstionem propositam, an
scilicet talia Matrimonia valeant? Sacram Con-
gregationem Emin. S. R. E. Cardinalium Conc.
Trid. interpretum, etiam nuper, occasione cu-
jusdam casus Irensis, censuisse respondendum ne-
gativè: alii verò desuper Româ instrui postulan-
tes dicant, etiam post diligentem inquisitionem
decretum memoratum minimè repertum, neque
illud innotescere Missionariorum ulli, quos af-
ferunt oppositum quotidie & docere, & practi-
care: quamvis Româ sibi rescriptum fateantur
ex Registro Congregationum Sancti Officii
& Con-

& Concilii Trid. compertum, nonnulla propè similia præteritis jam dudum annis emanâsse. Quidquid sit, res valdè ambigua est, proinde à petendo debitum abstinentum, donec conjuges in hac parte melius fuerint instructi.

§. 6. *De Denuntiationibus.*

Circa Denuntiationes varia proponi solent observanda.

1. Quod denuntiationes in Ecclesia fieri debent. Videntur etiam fieri posse in Oratorio, vel juxta ecclesiam, aut alio in loco, ad quem magnus fidelium numerus concurrere solet.

2. Fieri debent à Parocho, aut alio Sacerdote ex ejus licentia.

3. Debent fieri in Parochia, in qua habitant contrahentes. Si in diversis Parochiis habitent, necesse est, ut proclamationes in utraque fiant.

4. Debent fieri tribus diebus festivis ita continuis, ut nullius festi interventu separentur.

P. 1. An Parochus possit auctoritate propriâ denuntiationes illas omittere, vel pauciores tribus facere?

¶. Neg. Et Parochus mortaliter peccabit, si vel unam tantum omittere præsumat; quia Tridentini præceptum, denuntiationes illas injungens, non parvi appetit momenti.

2. Quis potest dispensare circa denuntiationes?

¶. Juxta Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. id fieri posse ab Episcopo, vel ejus Vicario; non tamen ad dispensandum procedendum est, nisi habita causa. Justæ autem cause variæ assignantur.

1. Quando Matrimonium creditur injuste impediendum per maleficia, vel per fraudes, seu violentiam parentum, aut aliorum.
 2. Quando denuntiationes fieri non possunt absque aliquo notabili incommodo, vel etiam absque scandalo.
 3. Si quis in periculo mortis; si quis debeat longius proficisci, & iter tantam non patiatur moram, justa est dispensandi ratio.
 4. Si Matrimonium prius publicè contractum, sed ob occultum impedimentum fuerit invalidum.
 5. Si timeantur gravia iurgia, vel rixæ inter corrvales, vel etiam inter parentes, nisi statim expediatur.
 6. Si ex cito Matrimonii expeditione notabilis aliqua utilitas speretur, dummodo nullum appareat impedimenti occulti periculum.
 3. Utrum factis denuntiationibus, qui impedimentum aliquod novit, illud Pastori, vel Episcopo statim indicare teneatur, etiam si sit occultum?
 8. Regulariter teneri; ideo enim Ecclesia denuntiationes fieri præcepit, ut occulta impedimenta detegantur, atque ita gravia mala, V. G. adulteria, incæstus, sacrilegia &c. caveantur.
- Sed quando infamia nota contrahentibus inureretur, aut simile aliquod nocumentum ex hujusmodi manifestatione ipsis obveniret, clam de impedimento latente instruendi, & efficaciter monendi essent, ut à matrimonio abstinerent.
- Si

Si tamen privata monitio non profutura sciretur, impedimentum, non obstante illâ infamiâ, ad Episcopum, vel pastorem deferre deberet, quando nempe matrimonium hoc pacto impediri posset.

- ¶. An contrahens, legitimè interrogatus de impedimento occulto, teneatur illud prodere, & à matrimonium abstinere?
- ¶. Quòd à Matrimonio abstinere debeat, in aper-
to est. Ceterùm impedimentum licetè detegere nequit, quando ex illa déclaratione vel infa-
mię labes, vel simile damnum alicui obveniret.
Tunc igitur dispensationem petere, vel præ-
textum à sponsalibus resiliendi querere debet.

C A S U S XXV.

*Concubinarius vult concubinam ducere ad pro-
lem legitimandam, & periculum mortis non patitur
dispensationem peti: Quæritur, an Parochus pro-
clamationes licetè omittere nequeat, non petitâ ab
Episcopo dispensatione?*

¶. Aff. Quia mentem Tridentini sic possumus interpretari, ut legem suam ad hujusmodi Casus non voluerit extensam.

C A S U S XXVI.

*Quid agendum Parocho, ubi occultum aliquoā
impedimentum subesse deprehendit?*

¶. Quòd contrahentes de obice illo monere debeat, & non nisi habitâ dispensatione, matrimonio assistere possit.

Si, non obstante Parochi monitione, partes Matrimonium inire velint, illos ad Episcopum,

392 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

ejusve Vicarium remittere poterit, ita tamen, ut ipsum de impedimento debitè informet.

Sed quid si hujusmodi impedimentum, non nisi ex confessione Sacramentali nōrit?

¶. Quod Parochus, secluso contrahentium consensu, extra Confessionem perinde se gerere debeat, ac si nihil sciret.

CAPUT ULTIMUM.

De bonis Matrimonii.

¶. I. *Quot sunt Matrimonii bona?*

Tria sunt Matrimonii bona fidelium, scilicet FIDES, PROLES, ET SACRAMENTUM.

Per Prolem intelligitur legitima generatio proli, ejusque ad cultum Dei educatio.

Per Fidem intelligitur fidelitas conjugalis, vi ejus obligantur conjuges inter se commisceri, & non cum alio.

Per Sacramentum denique intelligitur vinculum indissolubile Matrimonij, quatenus representat indissolubilem conjunctionem Christicum Ecclesia.

Actus conjugalis per se est licitus, dum sit ad debitum finem, qui est generatio proli, atque in hunc finem à Deo matrimonium est institutum Gen. 1. *Crescite & multiplicamini.*

¶. I. *An coniux teneatur reddere debitum alteri coniugi exigenti?*

¶. Aff. Idque sub gravi, quia materia est gravis.

Constat ex Apost. 1 ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui cor-*

corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

2. An conjux numquam excusetur à redditione debiti?

3. Aff. Idque in multis casibus. 1. Quando redditio non potest fieri sinè gravi incommodo compartis, ut si exigens laboret leprâ, peste, febri calidâ.

2. Similiter neget, quia vir est amens, vel ebrius, non enim humano modo petit. Hæc omnia in utroque militant.

3. Si mulier ex præcedentibus puerperiis, in quibus fuit morti proxima, probabiliter mortem timeat ex judicio medicorum, quia cum tanto vitæ periculo debitum illud solvere non tenetur.

4. Si infirma sit, vel copulam viro nocitaram sciat, eò quòd patiatur menstrua: ejus enim sanitatem sapienter procurat, si ex copula grave detrimentum sanitatis patiatur.

5. Si vir propter adulterium jus exigendi amiserit, muliere manente pudicâ, & nollet ei reconciliari, quia non servavit fidem.

6. Si exigat extra tempus, & locum opportunum cùm commodè ei reddere non potest, si V.G. petat publicè, vel in loco sacro.

Excipiunt tamen easum Theologi, in quo quis V.G. supponit per aliquod tempus inclusus in templo propter bellum, aut hæreticorum persecutionem, & non potest actus conjugalis differri sinè urgenti periculo incontinentiæ.

7. Si mulier sit gravida, & proxima partu, & timeat fœtus suffocationem.
3. An Actus conjugalis sit aliquando peccatum mortale?
- R. Aff. Si ita fiat cum uxore gravida, ut fœtum conceptum extinguat, aut periculo extincionis exponat, sive interim fœtus sit animatus, sive non, & in isto casu etiam non licet redire debitum; ita contingere potest, quando actus conjugalis est nimis frequens, vel exercetur ab ebrio.
2. Si maritus cognoscat uxorem patientem fluxum sanguinis menstrui, saltem quando non est certum, quod conceptio fœtus non sequitur. Ratio est, quia id est graviter noxium proli concipiendæ, quippe quæ inde plerumque nascitur monstrosa, turpis, robore, & sanitate destituta.
3. Si actus conjugalis exerceatur contra naturam, sic ut inde impediatur conceptio prolis, ut nascatur semini effusio extra vasa natura-lia, quæ omnia aperte exprimi, vetat naturalis pudor, ideoque prætereo.

C A S U S XXVII.

Mulier quedam, labore manuum vix vitam sustentat, viro interim rem domesticam nil, aut parum curante, confitetur, se aliquoties debitum negasse marito justè exigenti, eò quod numerosam problem habeat, cui alendo par non sit; queritur, an talis mulier negando debitum peccaverit?

R. Aff. Si vir absolute petierit debitum, i. quia ne-

negavit marito, quod absolutè ei debebatur.
2. Quia verisimiliter ex negatione debiti majo-
ra erunt obventura mala, timendum enim est,
ne matitus in adulteria, pollutiones voluntariæ
prolabatur, quæ peccata, cùm possit impedire
mulier, etiam obligatur.

4. Quid est polygamia, & an licita?

R. Polygamia est, *Habentia plurium uxorum;*
estque triplex: Una, quâ vir unus habet plures
uxores successivè, aut contrà. Altera, quâ uxor
habet plures maritos simul. Tertia, quâ vir ha-
bet simul duas, aut plures uxores.

Primam esse licitam constat ex Apost. i ad
Cor. 7. *Si dormierit vir ejus, cui vult, nubat.* Al-
teram esse jure naturæ vetitam, & per dispensa-
tionem non posse reddi licitam, est communis
doctrina; quia si mulier simul habeat plures ma-
ritos, impeditur primarius finis matrimonii, vi-
delicet prolis generatio: vel si nascitur proles,
illa est incerti patris, atque ita natum est fieri, ut
convenienter non educetur.

Tertiam denique jure Divino nunc esse pro-
hibitam, certum est ex Trid. sess. 24. can. 2. fuit
que prohibita in prima institutione Matrimonii,
& quolibet tempore seclusâ dispensatione Divi-
nâ, ut habetur Cap. *Gaudemus.* De divortiis; ibi
enim dicitur, licitam fuisse Patriarchis post di-
luvium, Deo nempe dispensante, & transferente
dominium corporis virilis in plures feminas,
propter restorationem generis humani penè
totaliter per aquas extincti.

§. 2.

§. 2. *An dissolvi possit Matrimonium
quoad vinculum?*

P. 1. **A**N olim dissolutum fuerit vinculum Matrimonii per libellum repudii? Ante responsionem

Nota ex S. Aug. L. 19. contra Faustum c. 26. concessum fuisse Judæis dimittere uxores, ut uxori daretur occasio viro se reconciliandi, eamque non dimittrandi: siquidem tempore, quo scriebatur libellus repudii, natum erat evenire, ut frangeretur ira mariti, isque interea cogitaret, quid mali esset uxorem dimittere, præsertim cùm Scribæ (quos oportebat accedere, ut libellus repudii scriberetur, eò quod scribi scilicet non posset nisi ab illis) viro suaderent, ut reconciliaretur uxori, eamque non dimitteret. His dictis ad petitionem

¶. Neg. Et constat ex Matt. 19. Ubi cùm Christus dixisset Judæis non licere dimittere uxorem, & hi reposuissent: *Quid ergo Moyses mandavit libellum repudii, & dimittere?* Illicè respondit: *Ad duritiam cordis vestri permisit Moyses vobis dimittere uxores vestras: ubi ly ad duritiam cordis, item permisit, significat dimissionem uxoris non fuisse licitam, sed permissam, velut minus malum ad evitandum majus, id est, ne uxores suas occiderent Judæi, ad quod proni erant.*

2. *An Matrimonium in hac lege dissolvi possit per professionem religiosam?*

¶. Potest matrimonium ratum, non potest dis-
solvi consummatum.

De priori parte constat ex Trid. sess. 24.
Can. 6. Item ex Cap. *Ex parte tua*. Cap. *Ve-
rum*. de conversione conjugorum.

De posteriori constat can. *Agathosa*. causa
27. q. 2. quod Matrimonio consummato, re-
pugnante altera parte, religionem ingredi
non liceat, quodque professio hujusmodi Ma-
trimonium dirimere non valeat.

Ratio congruentiae est, quod Matrimonium
consummatum significet indissolubilem con-
junctionem Christi cum Ecclesia, scilicet per
unitatem naturae, sicut etiam vir & mulier per
copulam juxta Apost. fiunt una caro, ita Chri-
stus per Incarnationem factus est una caro
cum Ecclesia.

3. Quantum temporis conceditur conjugibus,
ut post matrimonium initum ingrediantur
Religionem.

¶. Semper posse ingredi, quando matrimonium
non est consummatum. Statuitur tamen Cap.
ex publico de conversione conjugorum, ut
tempore bimestris possint deliberare, ita ut
spatio illius non teneantur reddere debitum,
& eo elapso compellantur reddere, nisi re-
ligionem intraverint.

4. An matrimonio consummato possit uterque
conjux, vel alteruter de consensu compartis
religionem ingredi?

¶. Aff. Et ideo si contingeret, utrumque conveni-
re post professionem, non committeretur adul-

398 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

terium, sed solum peccabitur contra votum.

5. An Matrimonium fidelium nondum consummatum possit dissolvi auctoritate Pontificis?

R. Probabiliter neg. Quia indissolubilitas Matrimonii est a Deo, ut patet ex Trid. sess. 24. in proæmio: *Quod autem Deus coniunxit, homo non separet.* Matt. 19.

Nec obstat, quod plurimi Pontifices dispensarint, quia ex hoc capite opposita sententia dumtaxat est probabilis, cum multi Pontifices rogati, dispensare noluerint, credentes se nihil posse.

6. An in nova lege solvatur matrimonium per adulterium?

R. Neg. Constat ex Flor. in decreto unionis. Ex Trid. sess. 24. can. 7. proinde: *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Apost. ad Rom. 7.

7. An solvatur Matrimonium infidelium per conversionem conjugum ad fidem?

R. 1. Neg. Quandò uterque convertitur, quia per baptismum non solvuntur conjugia, sed dimituntur crimina.

R. 2. Neque dissolvitur ipso jure, etiamsi unius tantum convertatur: quia juxta Cap. *Gaudemus de divortiis*, infidelis conversus, habens uxorem infidelem, non potest aliam ducere, quamdiu haec vivit, supposito, quod cum eo pacificè velit habitare.

8. Assigna casus, in quibus dissolvitur Matrimonium consummatum ob conversionem conjugis alterius ad fidem.

- ¶. Sunt hi subsequentes : 1. Si conjux infidelis renuat habitare cum conjuge converso : 2. Si nolit cohabitare, nisi cum contumelia Creatoris V. G. impediendo cultum illius, nomen despiciendo, conjugem conversum, aut domesticos à fide avertendo &c.
9. An Matrimonium hujusmodi solvatur eo ipso, quo infidelis renuit cohabitare conjugi converso?
- ¶. Neg. Sed opus est ut conjux conversus transseat ad secundas nuptias, aliás non debet censeri solutum, sed tantum solubile.
- Nota, quod priusquam conjux fidelis transseat ad secundas nuptias, debet admonere infidelem, de cuius partinacia non constat.
10. An infidelitas superveniens matrimonio fidelium, reddat illud solubile, quoad vinculum?
- ¶. Neg. Ita Innoc III. Cap. *Quanto de divortiis.* Et ratio est, quia matrimonium fidelium redditur prorsus ratum, & firmum per baptismum, ratione cuius significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.

§. 3. ET ULTIMUS.

De dissolutione Matrimonii quoad cohabitationem.

QUOD conjuges debeant simul cohabitare, est clarum ex natura ipsius conjugii, uti & ex Matt. 19. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhæredit uxori sue.*
Petes assignari aliquos casus, in quibus Matrimonium solvitur quoad cohabitationem?

¶. I.

- RE. 1. Si alter conjugum adulteretur, potest dimiti in perpetuum, ita tamen ut pars innocens jus habeat nocentem revocandi, & debitum ab illo exigendi.
2. Si maritus labatur in hæresim, aut infidelitatem, potest uxor se ab ipso separare, & si per sententiam ab illo fuerit separata, non teneatur ad ipsum redire, nisi per sententiam judicis, licet ipse convertatur. Ita Cap. *Mulier de conversione conjugatorum*.
3. Si dos à parentibus promissa non præstetur, verisimile est, quod maritus non teneatur eam alere, quamvis ad redditionem debiti obligetur, sed hoc spinis non caret.
4. Si pars una vitæ alterius insidietur.
5. Si maritus uxorem suam graviter lædere, & vulnerare soleat.
6. Si odio implacabili se invicem persequantur. Denique, si sine gravi admodum damno, præsertim spirituali, cohabitare nequeant, ut si alter alteri sit occasio proxima peccati mortalis.

Observandum: 1. Quod, causis hujusmodi separationis cessantibus, ad pristinæ cohabitationis societatem reverti omnino teneantur, nisi prudenter timeretur, ne periculum foret sublatum.

2. Consulendum esse, ne ulla ex causa regulariter loquendo quoad cohabitationem se separent, nisi interveniente ordinarii sententiâ, vel per Ecclesiæ judicium, cuius est rationes æquâ lance ponderare; cui irrefragabiliter hæc omnia dicta, & alibi dicenda filialiter subjicio.

INDEX



INDEX CASUUM

ET

RESOLUTIONUM,

ORDINE ALPHABETICO
DISPOSITUS.

A.

AAORTUS. Quid agendum cum illis, qui abortum
procurarunt? Cas. xi. fol. 76

ABSOLUTIO. Quid agendum Confessario, quando ex
ignorantia aliquem absolvit, quem absolvere non po-
terat? Cas. iv. 273

An capax sit Absolutionis, qui intendit contrahere
matrimonium cum persona, quâ usque ad illud tempus
fuit abusus, si non nisi communem adhibuerit præpara-
tionem? Cas. xxxvi. 336

Quid agendum Confessario, quando dubitat, an sponsa
ad Absolutionem sit disposita, si omnia jam ad nuptias
parata sint? &c. Cas. xxxvii. ibid.

ADULTER. An adulterer teneatur ad restitutionem, dum
adultera filium illegitimum supposuit tamquam legiti-
mum, adultero non suadente, imò forte eam deter-
rente? Cas. xiv. 202

ADULTERA. An adultera prolem habens illegitimam
benè faciat, dum morti vicina ita cunctos affatur: de-
claro unum ex vobis spurium, vultusne vobis mani-
festari? Cas. xiii. 201

Cc

AFFI-

INDEX.

- AFFINITAS.** An iteratò, & quomodo contrahi debeat matrimonium, quod propter affinitatem fuerat nullum, obtentà jam dispensatione? *Cas. xi.* 369
- ALIENUM PECCATUM.** An peccati alieni participes parentes efficaciter non prohibentes filiorum vitia; item Confessarii pœnitentibus lœvissima pro delictis gravissimis imponentes? *Cas. iv.* 10
- ALIMENTA.** Uter teneatur ad alimenta proliis illegitimæ, dum dubium est uter sit illius parens? *Cas. xv.* 202
- B.
- BAPTISMUS.** An licetè conferatur pueris infidelium invitis parentibus? *Cas. ii.* 255
- BAPTISMUS HÆRETICORUM.** An in Baptismo hæreticorum liceat aliquem de fonte suscipere? *Cas. viii.* 110
- BENEFICIUM PERMUTARE.** An sit simonia, dum in beneficii permutatione summa aliqua datur? *Cas. vi.* 140
- BENEFICIUM RESIGNARE.** An sit simonia, dum in beneficii resignatione reservatur pensio? *Ibid.*
- BLASPHEMIA.** An iis, qui ex lusu in blasphemias prorumpunt, à lusu abstinentur? *Cas. v.* 11
- BYZANTINUM CAMBIUM.** An sit licitum? *Cas. xii.* 243
- C.
- CAMBIUM.** An Placentinum sit licitum? *Cas. xii.* 243
- CAMPBOR.** Quid Confessario agendum, dum Campores nihil de usura confitentur? *Cas. xvi.* 251
- CARNIBUS VESCI.** An ille, qui per terras hæreticorum iter faciens, diebus Veneris carnibus vescitur, peccet, & agat contra Fidem? *Cas. ix.* 110
- CATHOLICA MULIER.** Quid cum ea agendum, dum conqueritur, se minis & verberibus à suo marito hæretico cogi ad frequentandas Conciones hæreticas? *Cas. ii.* 105
- CATHOLICI.** An valeant matrimonia Catholicorum cum hæreticis coram Magistratu hæretico in Provinciis Belgii Fœderati? *Cas. xxiv.* 388
- CAUPO.** An absolvendus Caupo, qui statuit omnes ad se venientes recipere, singulis vinum, & cerevisiam promere? &c. *Cas. iv.* 59
- AB

INDEX.

- An petentibus cœnam, quos novit prandium sumptuose, possit eam præparare? Cas. xv. 87
- An iisdem similem cœnam alibi denegatam possit offerre? ibid.
- CENSUS.** Uter sit præferendus, dum duo super eamdem rem censum emerunt, & res ita postea deteriorata est, ut utrique censui solvendo sit insufficiens? Cas. ix. 239
- CHOREA.** An Confessarius possit permittere, ut pœnitens intersit Choreis, licet dicat se raro, aut numquam in talibus delinquere? Cas. xxxv. 335
- CHYROGRAPHUM.** An liceat inferiori pretio emere Chyrographum periculis & difficultatibus obnoxium? Cas. xiv. 250
- CIRCUMSTANTIÆ MUTANTES SPECIEM.** An pœnitens, qui tales circumstantias omisit, ad reiterationem præteritarum confessionem sit adigidus? Cas. viii. 30
- COENA CALVINISTICA.** An licitum sit illi interesse? Cas. vi. 108
- COGITATIO.** Quid agendum cum habentibus in honestas cogitationes? Cas. i. 56
- COGNATIO SPIRITUALIS.** An omnes contrahant cognationem spiritualem, dum plures quamdam filiam, dum baptizabatur, tetigerunt, sed nullus fuit designatus pater? Cas. xvi. 382
- An parent propriam baptizans prolem contrahat cognationem spiritualem cum prole, & ejus matre? Cas. xvii. 383
- COLLOQUIA TURPIA.** Quid faciendum cum illis, qui consueverunt proferre colloquia turpia? Cas. xiii. 281
- COMPLEX.** Qualiter peccet Confessarius, qui pœnitentem compellit ad nominandum complicem? Cas. xxiii. 300
- CONCIONES HÆRETICORUM.** An licitum sit iis interesse? Cas. vi. 108
- CONCUBINARIUS.** Quid cum illo agendum? Cas. viii. 63
- CONCUPISCENTIA.** Quid agendum cum eo, qui passim solet turpiter concupiscere mulieres sibi obvias, aut circa eas morosè delectari? Cas. xiv. 282
- CONFESSARIUS.** An Confessarii levissima quædam pro

I N D E X.

- gravissimis delictis imponentes peccatorum alienorum
sint participes? Cas. iv. 10
- CONFESSIO INTEGRA.** An satis integrè confiteatur, qui
dicit: totâ nocte in lecto impudicè conversatus sum cum
una, quacum feci, quod volui? Cas. xv. 282
- CONSCIENTIA.** An putans invincibiliter rem esse alic-
iam, possit eam tutò retinere? Cas. ix. 31
- CONSCIENTIÆ EXAMEN.** An prudenter Confessarius
absolvat eum, qui anteà non instituit sufficiens examen
conscientiæ? Cas. v. 274
- CONSENSUS PARENTUM.** An subsistat matrimonium
initum coram Parocho renitente propter defectum cō-
sensū parentum? Cas. x. 364
- CONSILIUM.** An adjiciens consilium suum, ubi fur de-
terminatus erat ad furandum, obligetur ad restitutio-
nem? Cas. v. 181
- CONSORTIA.** An permitti possint consortia, in quibus
facilè quis labi possit? Cas. ii. 57
- CONSUETUDINARI. Quid agendum cum consuetudi-
riis, si absque prævia vivendi mutatione absolutionem
desiderent, ut illico ad vitæ statum suscipiendum dispa-
nentur? Cas. xxviii. 325**
- An ordinariè absolutio differenda consuetudinariis?
Cas. xxix. 327
- CONTRACTUS.** An peccet firmans contractum, de cuius
justitia dubitatur? Cas. x. 32
- An contractus Mohatra sit usurarius? Cas. xv. 250
- CONTRACTUS SOCIETATIS.** An triplex contractus
Societatis inter duos sit licitus? Cas. x. 240
- COPULA.** Quid agendum Confessario, dum sponsus, &
sponsa ipsum accedunt, & ille se accusat de copula cum
sponsa habita, hæc verò nequaquam? Cas. viii. 276
- Item Cas. xxxviii. 337
- CREDITO VENDERE.** Quomodo procedendum cum
Mercatore, qui merces suas credito pluris vendit, quam
paratâ pecuniâ? Cas. iii. 227
- CRIMEN.** An incurritur impedimentum criminis, licet
anteà non fuerit initum pactum de matrimonio incundo?
Cas. xviii. 383

I N D E X.

D.

- DAMNUM.** Utrum singuli peccent mortaliter, dum à pluribus simul damnum grave illatum est? *Cas. iii.* 177
- DAMNUM EMERGENS.** An aliquis damnum emergens teneatur resarcire, dum nulla de compensatione damni facta mentio est? *Cas. vii.* 232
- DEBITUM CONJUGALE.** An peccet mulier negando debitum conjugale marito, quia nimis numerosam problem habet? &c. *Cas. xxvii.* 395
- DELECTATIO MOROSA.** Quid agendum cum eo, qui passim solet circa mulieres sibi obvias morosè delectari? *Cas. xiv.* 282
- DESPERATIO.** Quid agendum Confessario cum desperante? *Cas. xi.* 112
- DETESTATIO PECCATORUM.** Quid agendum cum eo, in quo non apparent signa veræ detestationis peccatorum? *Cas. iii.* 273
- DETRACTOR.** Quomodo cum talibus agendum? *Cas. x.* 195
- DIFFAMARI.** An possit diffamari, qui publicè est bona famæ, privatim tamen scitur esse malæ vitæ? *Cas. viii.* 193
- DISPENSATIO.** An subsistat dispensatio, quando allegatur falsus titulus, qui tamen postea casu subsistit? *Cas. xiii.* 381
- DUBITARE.** Quid agendum cum pœnitente, qui dubitat, an omnes Confessiones præteritæ fuerint bona? *Cas. vii.* 275
- DUBIUM.** An peccet firmans contractum, dum dubium est, utrum sit justus? *Cas. x.* 32
- An ad restitutionem teneatur, cui dubium est, ex copula, quam habuit cum uxore alterius, nata sic proles? *Cas. xvi.* 203
- Quid agendum mulieri, quæ putans maritum suum mortuum, contraxit cum altero, & postea de morte mariti dubitat? *Cas. xx.* 384
- DUELLUM.** Quid faciendum cum illo, qui habuit duellum? *Cas. xix.* 210

I N D E X.

E.

EBRIUS. Quid agendum cum ebriis? Cas. xiii. 80
ERROR. An matrimonium subsistat, dum femina nobilis ante matrimonium declaravit, se potius quidlibet passuram, quam cum ignobili contraheret, & postea defectus nobilitatis in marito manifestatur? Cas. xiv. 381

EXAMEN CONSCIENTIÆ. An prudenter Confessarius absolvat eum, qui antea non instituit sufficiens examen conscientiae? Cas. v. 274

EXAMEN POENITENTIS. Quid agendum Confessario, dum vi examinis eduxit ex conscientia pœnitentis peccatum mortale, quod statuerat celare? Cas. vi. 275

Quid agendum cum illis, qui vix ulla peccata sponte confitentur, sed tamen à Confessario interrogati fatentur multa mortalia? Cas. xix. 287

Quid censendum de illis, qui usque ad dictum examen ignorant, voluntates internas, &c. esse peccata mortalia, & multa hujusmodi commiserunt? Cas. xx. ibid.

EXTREMA UNCTIO. An teneatur Parochus cum evidenti mortis periculo moribundo administrare extre-
mam Unctionem? Cas. 247

F.

FAMULUS. Quid remedii illi præscribendum, si sapientius cum ancilla, in eadem domo habitans, peccet, & sine gravi incommodo separari non possint? Cas. vi. 62

FIDEI PROFESSIO. An interrogatus de sua Fide à Tyranno possit uti verbis ambiguis? Cas. iii. 107

FILIUS FAMILIAS. Quid remedii illi præscribendum, si sapientius, in iisdem ædibus habitans, cum consanguinea peccet, & sine gravi incommodo separari nequeant? Cas. vi. 62

FORMULARIUM. An Formularium Jansenii jurans cum restrictione pure mentali peccet mortaliter, & an sit reus perjurii? Cas. ii. 131

FORNICATIO. Quid agendum cum Fornicario? Cas. v. 61
H.

I N D E X.

H.

- HABITATIO.** An subsistat matrimonium, dum habitan-
tes Antverpiæ, & ibidem contrahere non valen-
tes, rendunt in Flandriam, ut ibidem contrahant? 385
Cal. xxii.
- HÆRETICUS.** Quid cum hæretico agendum? Cas. i. 102
- HÆRETICORUM BAPTISMUS.** An liceat in tali ali-
quem de fonte suscipere? Cas. viii. 110
- HÆRETICORUM CONCIONES.** An licitum sit iis in-
teresse? Cas. vi. 108
- HÆRETICUS MINISTER.** An liceat Matrimonium co-
ram tali contrahere? Cas. vii. 109
- HISTORIÆ LUBRICÆ.** An, dum aliquis per lectionem
Historiarum lubricarum de nocte inordinatos motus
carnis patitur, hi motus sint voluntarii, & quid Con-
fessio agendum? Cas. i. 9
- HOMICIDIUM.** Quid agendum cum illo, qui simpliciter
diceret, se occidisse hominem? Cas. xviii. 208
- An qui alteri promisit centum, si inimicum occide-
rit, patrato homicidio ad solvendam promissionem
obligetur? Cas. i. 213

I.

- IDOLOTHYTA.** An iis vesci liceat? Cas. x. 111
- JEJUNIUM.** Quid faciendum cum co, qui jejunium
fregit? Cas. xiv. 87
- IGNORANTIA.** Quid agendum Confessario cum Pœni-
tente laborante ignorantia articulorum Fidei scitu ne-
cessariorum necessitate medii? Cas. vi. 22
- Quid agendum cum eo, qui sæpius pollutionem
commisit, & ex ignorantia illud peccatum non est con-
fessus? Cas. vii. 23
- ILLEGITIMA PROLES.** Uter teneatur ad alimenta prolis il-
legitimæ, dum dubium est, uter sit illius pater? Cas. xv. 202
- IMPOTENTIA.** An maritus teneatur adhærere primæ, &
deserere secundam, dum matrimonium cum prima per
Judicem Ecclesiasticum, qui eam putabat impotentem,
fuerat declaratum nullum, & postea deprehenditur, non
fuisse perpetuam impotentiam? Cas. xxiii. 386

INDEX.

- IMPRECARI.** Quid agendum cum illo, qui dicit, se alii mala imprecatum fuisse ? Cas. i. 129
- INCOESTUOSUS.** Quid cum illo agendum ? Cas. ix. 69
- INCOESTUS.** An incestus cum consanguinea uxoris in tertio gradu dirimat matrimonium ? Cas. xii. 385
- INDIGNUS.** Ad ad restitutionem obligetur, qui suffragium suum dat indigno, licet major pars suffragantium in illum inclinetur ? Cas. vii. 181
- INFAMIS.** An infamis in una civitate possit infamari in alia ? Cas. ix. 194
- INFIDELIUM PUERI.** An invitatis parentibus licet baptizentur ? Cas. ii. 255
- INGEMISCENS.** An Confessarius ingemiscens ad gravia peccata sit sigilli violator ? Cas. xi. 279
- INSTRUCTIO.** An ad restitutionem teneatur, qui instruxit furem ad furandum, licet ante factum ostendat, se iostuctionis suae pœnitere ? Cas. vi. 181
- INTERNA VOLUNTAS.** Quid censendum de illis, qui usque ad examen pœnitentis à confessario factum ignorant internas voluntates, &c. esse peccata mortalia, & multa hujusmodi commiserunt ? Cas. xx. 287
- INTERROGATIO POENITENTIS.** Quid agendum cum illis, qui à confessario interrogari volunt, nullum peccatum exprimentes ? Cas. ii. 271
- JURAMENTUM.** An iis, qui ex iusu in juramenta prorumpunt, à iusu sit abstinendum ? Cas. v. 11
- JURARE.** Quid agendum cum illo, qui dicit, se aliquoties jurasse ? Cas. i. 129

L.

- LIBELLATICI.** An egerint contra Fidem ? Cas. iv. 107
- LIGAMEN.** An subsistat matrimonium, dum quis putans uxorem suam vivere, quæ tamen erat mortua, contrahit cum altera ? Cas. xix. 384
- LUCRUM.** Quomodo facienda est lucri divisio, & summa capitalis, quæ superest, finita sorte, dum unus contulit operam, & industrias, alter verò pecuniam ? Cas. xi. 240
- LUSOR.** An lusoribus abstinendum à iusu, dum in juramenta & blasphemias facile prorumpunt ? Cas. v. 11
- LUSUS.

INDEX.

- LUSUS VETITUS. An confessarius possit permettere, ut
Poenitens intersit lusui verito, licet dicat, se raro, aut
numquam in talibus delinquere? Cas. xxxv. 335
- M.
- MAGIA. Quid agendum cum Magis, divinatoribus,
maleficiis? Cas. x. 149
- MAGISTRATUS HÆRETICUS. An valcent matrimonia
Catholicorum cum Hæreticis coram Magistratu Hæreti-
co in Provinciis Belgii confederati? Cas. xxiv. 387
- MATRIMONII NULLITAS. Quid agendum cum femina,
quæ conscientia nullitatis matrimonii illam marito indicare
non audet? Cas. xii. 370
- An culpanda mulier, quæ marito non audet indicare
nullitatem matrimonii? Cas. xv. 382
- MATRIMONII PROMISSIO. An qui novit aliquam
esse corruptam, & nihilominus ei promittit matrimo-
nium, ut ejus fruatur corpore, teneatur eam ducere?
Cas. xii. 200
- MATRIMONIUM. An possit contraheri matrimonium
coram ministro hæretico? Cas. vii. 109
- An matrimonium sit validum, quod contractum fuit
post inita sponsalia cum sorore uxoris? Cas. iii. 357
- Cum ultra debeat contrahere matrimonium, qui post
promissum matrimonium hæreticæ, cognovit sororem
Catholicam? Cas. iv. ibid.
- Cum ultra debeat contrahere, qui prius fornicatus
cum una sororum, postea despensavit alteram? Cas. v.
358
- An quis possit matrimonium contrahere cum illa,
quacum quidem contraxit sponsalia, sed quam
postea duxit ejus frater, matrimonio non consummato?
Cas. vi. ibid.
- An subsistat matrimonium initum coram Parocho
silente, & teniente propter defectum consensus paren-
tum? Cas. x. 364
- MERCATOR. An Mercator ruto perget communi pretio
merces suas vendere, dum privata scientia novit, copiam
mercium brevi adfuturam? Cas. xiii. 249
- Quid

I N D E X.

- Quid confessario agendum, dum Mercatores nihil de usura confitentur? Cas. xvi. 251
- Quomodo procedendum cum Mercatore, qui merces suas credito pluris vendit, quam paratâ pecuniâ? Cas. iii. 227
- Quid agendum confessario, quando Mercator metaturam non soler agere sinè usuris, fraudibus, &c. Cas. xxxiv. 335
- MERETRIX.** Quid cum illa faciendum? Cas. vii. 62
- METUS INJUSTUS.** An sponsus possit resilire à sponsalibus carnis commercio firmatis, dum sponsæ pater stupri inscius filiam per minas impellit, ut promissa relaxet? Cas. ix. 359
- MOHATRA.** An contractus Mohatra sit usurarius? Cas. xv. 250
- MULIER CATHOLICA.** Quid cum ea agendum, dum conqueritur, se minis & verberibus à suo marito Catholico cogi ad frequentandas conciones Hæreticas &c. Cas. ii. 105
- MUTUATOR.** Quid confessario agendum, dum mutuatores nihil de usura confitentur? Cas. xvi. 251
- MUTUUM.** An liceat petere mutuum, quin non prævidetur datus nisi cum usura? Cas. ii. 10

N.

- NOBILES.** Quid faciendum confessario, dum Nobiles nihil, aut parum dicunt de peccato vindictæ? Cas. ix. 277
- NULLITAS MATRIMONII.** Quid agendum cum femina, quæ conscientia nullitatis matrimonii, illam marito indicare non audet? Cas. xii. 370
- An culpanda mulier, quæ marito non audet indicare nullitatem matrimonii? Cas. xv. 382
- NUMERUS PECCATORUM.** An qui determinatum peccatorum numerum numquam expressit, ad reiterationem præteritarum confessionum sit adigendus? Cas. viii. 30
- Quid agendum confessario cum eo, qui numquam expressit numerum peccatorum? Cas. xii. 279

O.

I N D E X.

O.

OCCASIO PECCATI. Quid agendum confessario, dum
Poenitens in occasione proxima peccati mortalis de-
prehenditur? Cas. xxx. 331

Quid agendum confessario, dum Poenitens occasiones
proximas se evitare non posse sine gravi incommodo
confitetur? Cas. xxxi. 332

An confessarius possit statim absolvere Poenitentes,
qui promittunt se occasionem proximam mox relisti-
ros? Cas. xxxiii. 333

OPIFEX. Quid faciendum confessario, dum opifices nihil,
aut parum dicunt de fraudibus? Cas. ix. 277

Quid agendum confessario, quando opifex diebus
festivis occupatur? Cas. xxxiv. 334

OPPRESSIO. An violenta oppressio ab altero facta spon-
so det causam sufficientem resiliendi a sponsalibus? Cas.
viii. 335

An in tali casu exceptio sponsae adversus sponsum, qui
fornicatus fuisset, sit admittenda? ibid.

P.

PAPISTA. An negans se Papistam in consortio hæretico-
rum agat contra Fidem? Cas. v. 108

PARENTES. An parentes efficaciter non prohibentes filio-
rum peccata, eorum fiant participes? Cas. iv. 10

PECCATA VENIALIA. Quid agendum cum confitenti-
bus saepius eadem peccata venialia? Cas. i. 267

Quid agendum cum eo, qui morti proximus, non
habens peccata mortalia, non vult confiteri venialia?

Cas. xvi. 283

PECCATUM RESERVATUM. An possit confessarius
Poenitentem, qui ex oblivione in novissima confessione
Superiori facta peccatum reservatum omisit, a dicto
peccato in sequenti confessione absolvere? Cas. xxii. 294

PECUNIA PARATA. Quomodo procedendum cum Mer-
catore, qui merces suas credito pluris vendit, quam
pecuniâ paratâ? Cas. iii. 227

FEN-

hil de
251
mer-
uniâ?
227
mer-
&c.
335
62
onfa-
pater
missa
359
Cas.
250
dum
Ca-
&c.
105
tua-
251
ide-
10
No-
tæ?
277
na,
odi-
70
are
82
ec-
em
30
m
79
D.

I N D E X.

- PENSIO.** An licitum sit reservare pensionem in resignatione beneficii? Cas. vi. 140
- PLACENTINUM CAMBIUM.** An sit licitum? Cas. xii. 243
- POENA CONVENTIONALIS.** Aut tutâ conscientiâ exigitur possit? Cas. viii. 232
- POENITENTIA.** An rectè agat confessarius pro pœnitentia Sacramentali ancillæ præcipiendo, ut per octiduum in pane & aqua jejunet? Cas. xxi. 291
- POLLUTIO.** Quid agendum cum eo, qui saepius pollutionem commisit, & ex ignorantia illud peccatum non est confessus? Cas. vii. 23
- Quid agendum cum illo, qui habuit pollutionem? Cas. x. 73
- PRÆPARATIO ANTECONFSSIONEM.** An prudenter confessarius absolvat eum, qui ante confessionem non adhibuit sufficientem præparationem? Cas. v. 274
- Quid faciendum confessario, quando quidam contractus matrimonium cum persona, qua semper abusus fuerat usque ad illud tempus, non adhibuit nisi communem præparationem? Cas. x. 278
- PRÆSBYTER.** Quid agendum cum Præsbytero hærente, & dubitante in verbis Consecrationis? Cas. xi. 36
- An negans se Præsbyterum in consortio hæreticorum agat contra Fidem? Cas. v. 108
- PRÆSCRIPTIO.** An dubitans rem non esse suam, eam possit retinere viâ præscriptionis? Cas. i. 166
- PROCLAMATIO.** An possint omitti proclamations, si Concubinarius velit Concubinam ducere, & periculum mortis non patiarur moram? Cas. xxv. 391
- An proclamations iterari debeant. dum matrimonium ab initio nullum, per dispensationem deberet reiterari? Cas. xxvi. 392
- PROFESSIONE FIDEI.** An interrogatus de sua Fide à Tyranno, possit uti verbis ambiguis? Cas. iii. 107
- PROLES ILLEGITIMA.** Utet teneatur ad alimenta pro lis illegitimæ, dum dubium est, uter sit illius pater? Cas. xv. 202
- PRO-

INDEX.

- PROMISSIO.** An qui alteri promisit 100. si inimicum occiderit, patrato homicidio ad solvendam promissionem obligetur? *Cas. i.* 217
- An valida sit promissio ab una tantum parte facta? *Cas. i.* 356
- PROMISSIO MATRIMONII.** An qui novit aliquam esse corruptam, & nihilominus ei promittit matrimonium, ut ejus fruatur corpore, teneatur eam ducere? *Cas. xii.* 200
- PROXENETA.** An possit retinere augmentum, quod est ultra determinatum pretium? *Cas. xvii.* 251
- PUELLA HONESTA.** An ad domesticum velut carcerem obligetur, si quis ex intuitu ipsius sibi sumit occasionem spiritualis ruinæ? *Cas. iii.* 10
- PUERI.** Quomodo se geret confessarius, dum pueros habet confitentes? *Cas. xvii.* 284

R.

- RECIDIVA.** Quomodo confessarius pœnitentem relabentem à recidiva deterrebit? *Cas. xxvi.* 322
- RELAPSUS.** Quid agendum confessario, quando pœnitens in multis occasionibus immotus, postea in peccatum relapsus est? *Cas. xxvii.* 325
- RESTITUTIO.** Quid agendum confessario, dum in articulo mortis materia restitutioem concernens appetit dubia? *Cas. ii.* 171
- An obligetur ad restitutionem, qui statuorem furari à Joanne, impellit ut furetur à Paulo? *Cas. v.* 180
- An obligetur ad restitutionem, qui volentem furari hodie, impellit, ut exspectet in crastinum? *ibid.*
- An ad restitutionem obligetur, qui consilium suum addicit, ubi fur determinatus erat ad furandum? *Cas. v.* 181
- An ad restitutionem obligetur, qui furem instruxit ad furandum, licet ante furtum ostendat, se instruções suæ pœnitere? *Cas. vi.* *ibid.*
- An ad restitutionem obligetur, qui suffragium suum dat indigno, licet major pars suffragantium in illum inclinetur? *Cas. vii.* *ibid.*
- An

signa-
140
s. xii.
243
exigi-
232
niten-
duum
291
pollu-
1 nou-
23
nem?
73
leinter-
1 non
274
con-
abu-
com-
278
ente,
36
rum
108
eam
166
, si
lum
391
me,
eret
392
no,
107
108
ter?
02
0.



INDEX.

- AN** ad restitutionem teneatur, qui dubitat, an ex copula, quam habuit cum uxore alterius, nata sit proles? **Cas. xvi.** 203
RIXA. Quid faciendum cum uxore, quæ dicir, se rixas habuisse cum suo marito? **Cas. xvii.** 207

S.

- SACRAMENTUM.** An licet petere Sacramentum à sacrilego ministro? **Cas. ii.** 10
SACRAMENTORUM MATERIA, ET FORMA. An Ecclesia censenda sit determinâsse materias, & formas Sacramentorum, quia Latini iussi sunt consecrare in azymo, Græci in fermentato? **Cas. i.** 254
SCIENTIA EX CONFESSIONE. An Episcopus teneatur manere in proposito conferendi Pastoratum illi, quem ex scientia, ex confessione hausta, falsum Sacerdotem novit, & cui anteâ decreverat Pastoratum conferre? **Cas. xxiv.** 301
An Episcopus peccaret mortaliter, si huic falso Sacerdoti in tali statu Pastoratum conferreret? 302
An quis possit non dare suffragium illi, quem ex scientia ex confessione hausta indignum & incapacem novit? **Cas. xxv.** ibid.
SCRUPULOSI. Quid agendum cum scrupulosis dicentibus, non consentio &c. **Cas. xii.** 37
SEXAGENARI. An teneatur jejunare. **Cas. xvi.** 88
SIGILLUM. An Confessarius ingemiscens ad gravia peccata sit sigilli violator? **Cas. xi.** 279
SIMONIA. An sit simonia, dum prætendens beneficium dicit: non ero ingratus, faciam quod &c. **Cas. iii.** 136
An simoniacè collatori beneficij offeratur equus, vel ejus uxori gemma &c. **Cas. iv.** 137
An sit simonia, dum quis competitori dat aliquid, ut desistat à lite, à sollicitatione, &c. **Cas. v.** 139
An sit simonia resignare beneficium reservatâ sibi pensione? **Cas. vi.** 140
An sit simonia permutare beneficium datâ aliquâ summâ? **Cas. vii.** ibid.

AD



I N D E X.

AN sit simonia occasione intentionis medii imperialis
legerē sacrum, quod aliās lectum non fuisset? Cas. vii. 141

AN sit simonia frequentare chorū ratione duplicis
distributionis? ibid.

AN sit simonia divitum confessiones poriūs audire,
quām pauperum? Cas. viii. ibid.

AN sit simonia, dicere: Elige me abbatem, eligam
te Provisorem? Cas. ix. 142

SOCIETATIS CONTRACTUS. AN Societatis contractus
triplex inter duos sit licitus? Cas. x. 240

SODOMIA. Quid agendum cum illo, qui illud peccatum
perpetravit? Cas. xii. 77

SPONSALIA. AN quis contrahat sponsalia, qui in plu-
rium consortio dicit: Promitto me unam ex vobis duc-
trum in uxorem? Cas. ii. 356

AN quis possit matrimonium contrahere cum illa, quā-
cum quidem contraxit sponsalia, sed quam postea duxit
eius frater, matrimonio nondum consummato? Cas. vi.
358

Utra sponsalia sint valida, dum posteriora iuramento
& commercio carnali fuerunt firmata? Cas. vii. 359

SPONSUS, ET SPONSA. Quid agendum confessario,
dum sponsus & sponsa ipsum accedunt, & ille se ac-
cusat de copula cum sponsa habita, hæc vero nequa-
quam? Cas. viii. 276

Item Cas. xxxviii. 337

SUSCEPTIO. AN licitum sit, amici filium de fonte susci-
pere, dum hæretico more baptizatur? Cas. viii. 110

T.

TABERNÆ. AN confessarius possit permettere, ut pœ-
nitens frequenter tabernas, licet dicat, se raro aue-
numquam in iis delinquere? Cas. xxxv. 335

TEPIDI. Quomodo Confessarius debeat suscipere tepidos?
Cas. xviii. 288

THESAURARIUS. AN thesaurarius Principis possit salvā
conscientiā consanguineis dare opes, ex Principis pecu-
nia conquisitas? Cas. iv. 227

TUR-

INDEX.

TURPIA COLLOQUIA. Quid faciendum cum illis, qui
confuerunt proferre turpia colloquia? Cas. xiii. 281

V.

VENIALIA PECCATA. Quid agendum cum con-
fidentibus s̄epiū eadem peccata venialia? Cas. i. 267

VIOLATIO. An violator iustus, dum, quæ virgo re-
putabatur, non erat talis, teneatur ad eandem restitu-
tionem, ac si fuisset virgo? Cas. xi. 199

VISITATIO. An visitatio matrimonii causâ facta sit per-
mittenda, & quomodo? Cas. iii. 58

UNCTIO EXTREMA. An teneatur Parochus cum evi-
denti mortis periculo administrare Unctionem extre-
mam? Cas. 347

VOLUNTAS INTERNA. Quid censendum de illis, qui
usque ad examen à confessario institutum ignorant vo-
luntas internas, quibus valde obnoxii sunt, esse pec-
cata mortalia? Cas. xx. 287

USURA. An sit usura aliquid dare mutuo eā lege, ut
toto anno nullibi, præterquam in officina sua emat?
Cas. ii. 226

USURARIUS. Quid agendum cum usurariis? Cas. v. 228
Quid agendum cum usurario manifesto in probabili
mortis articulo constituto? 229

UXOR. An possit confessarius suadere, ut uxor maritum,
liberosque deserat, q̄ia facillimè irritatur conjugis sui
& liberorum defectibus, ac eapropter illis grande ma-
lum assuevit imprecari? Cas. xxxii. 332

FINIS.

is, qui
281

n con-
i. 267
rgo re-
restitu-

199
sit per-
58
am evi-
extre-

347
lis, qui
ant vo-

ffe pec-

287

ge, ut
a emat?

226

v. 228
obabili

229
aritum,
agis sui
de ma-

332



Ex libris
Concordia
Gesell
Societas

Th
2246